
RESPONSORII PRO UNISQUIBUSQUE SALUTATIONE ANGELICA IN RECITATIONE ROSARII MARIALIS



EX VARIIS LIBRIS LITURGICIS DESUMPTI

DISPOSITUM PER HEBDOMADAM

AD MENTEM EPISTULÆ APOSTOLICÆ
« ROSARIUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS »
A S. JOANNE PAULO PP. II
EPISCOPIS, CLERO FIDELIBUSQUE DATA

FERIA II


de radice ejus ascendet.
Egredietur Virga de radice Jesse et flos
Et requiescet super eum spiritus Domini. Isaie: C. XI. V. I.

2

PRIMUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS



1. ℟. Summæ Trinitáti, símplici Deo, una divínitas, æquális glória, coætérna majéstas, Patri, Prolíque, Sanctóque Flámini: * Qui totum subdit suis orbem légibus.

℣. Præstet nobis grátiam Trinus Deus

et Unus, cui ab ætérno, O María, summe placuísti. * Qui totum subdit suis orbem légibus.

℟. i., Dominica ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

2. ℟. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit.

℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit.

℟. ix., In Conceptione Immaculata B. M. V., Brev. O. Præd.

3. ℟. Eva Mater hosti conséntiens, seípsam cum viro eliminávit a glória, vitam cómmutans in mortem; cujus felix fília Deo obédiens hostem supplantávit, glóriam restítuit, mortem fugávit: * Et vitam reportávit.

℣. Laus Deo sit et glória, qui frágili Matri talem provídit fíliam, quæ et sui Genitóris est efficta Génitrix. * Et vitam reportávit.

℟. i., Feria III ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

4. ℟. Intélligens Abraham successiónem suam stellárum número coæquári, de te tuóque Fílio, O Invéntrix grátiæ: * Magis lætátus est quam de cǽteris suæ propáginis filiábus et fíliis.

℣. Exúltet ígitur et summe júbilet cóncio nostra de te tuáque benedícta Prole, sicut et Pater Abraham. * Magis lætátus est quam de cǽteris suæ propáginis filiábus et fíliis.

℟. ii., Feria III ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

5. ℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Joseph,

núntians ei verbum; et expavéscit Virgo de lúmine: ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: * Ecce concípies et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius.

℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David, patris ejus, et regnábit in domo Jacob in ætérnum. * Ecce concípies et páries, et vocábitur Altíssimi Fílius.

℟. i., In Annuntiatione B. M. V., Brev. Rom.

6. ℟. Ave, María, grátia plena; Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei. * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

℟. ii., In Annuntiatione B. M. V., Brev. Rom.

7. ℟. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est: concípies et páries Deum páriter et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum: efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres.

℟. iii., In Annuntiatione B. M. V., Brev. Rom.

8. ℟. Omnia flúmina intrant in mare, et ipsum non redúndat: * Omnia gratiá-

rum charísmata in Maríam, et ipsa non intuméscit.

℣. Dixit illi Angelus: Ave, grátia plena. Et ipsa respóndit: Ecce ancílla Dómini. * Omnia gratiárum charísmata in Maríam, et ipsa non intuméscit.

℟. viii., Ssmi Nominis Mariæ, Brev. O. Carm.

9. ℟. Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria, Angelo nuntiánte, concépit: tunc speciósum forma præ fíliis hóminum castis suscépit viscéribus: * Et benedícta in ætérnum, Deum nobis prótlit et hóminem.

℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concépit Fílium. * Et benedícta in ætérnum, Deum nobis prótulit et hóminem.

℟. v., In Circumcisione Domini et Oct. Nativitatis, Brev. Rom.

10. ℟. Angelus Dómini appáruit Joseph, dicens: Joseph fili David noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est de Spíritu Sancto est: * Páriet autem Fílium: et vocábis nomen ejus Jesum.

℣. Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. * Páriet autem Fílium: et vocábis nomen ejus Jesum.

℟. ix., S. Joseph Sponsi B. M. V., Brev. O. Præd.

SECUNDUM MYSTERIUM GAUDIOSUM

VISITATIO BEATÆ VIRGINIS MARIÆ AD SANCTAM ELISABETH



11. ℟. Ibo ad montem myrrhæ festinánter, et vidébo verbum hoc, * Quod factum est in áuribus meis ab Angelo salutánte.

℣. Viam mandatórum tuórum cucúrri,

juxta verbum tuum. * Quod factum est in áuribus meis ab Angelo salutánte.

℟. iii., In Visitatione B. M. V., Brev. Cist.

12. ℟. Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: * Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum.

℣. Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, a summo cœlo egréssio ejus. * Símilis est diléctus meus cápreæ hinnulóque cervórum.

℟. iv., In Visitatione B. M. V., Brev. Rom.

13. ℟. Speciósas fílias cumulántes divítias, * Thesáuro ventris grávidi transcéndit Mater Dómini.

℣. Exúlta, et lauda, habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israël. * Thesáuro ventris, grávidi transcéndit Mater Dómini.

℟. ix., In Visitatione B. M. V., Brev. Cist.

14. ℟. Surge, própera, amíca mea, formósa mea, et veni: jam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit: * Vox túrturis audíta est in terra nostra.

℣. Intrávit María in domum Zacharíæ et salutávit Elísabeth. * Vox túrturis audíta est in terra nostra.

℟. i., In Visitatione B. M. V., Brev. Rom.

15. ℟. Cum audísset salutatiónem Maríæ Elísabeth, exclamávit voce magna, et dixit: * Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. * Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

℟. iii., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

16. ℟. Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui: * Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

℣. Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. * Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me?

℟. iii., In Visitatione B. M. V., Brev. Rom.

17. ℟. Beáta quæ credidísti, quóniam perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: * Magníficat ánima mea Dóminum.

℣. Veníte, et audíte, et narrábo quanta fecit Deus ánimæ meæ. * Magníficat ánima mea Dóminum.

℟. vi., In Visitatione B. M. V., Brev. Rom.

18. ℟. Magníficat ánima mea Dóminum, et exsultávit spíritus meus in Deo, Salutári meo: * Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℣. Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea, ínsuper et caro mea requiéscet in spe. * Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ; ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

℟. i., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

19. ℟. Felíces matres, sed et nati felicióres: * Et quæ gessére felícia facta fuére.

℣. Felix domus, felix família, quibus

sunt visa tot mirabília. * Et quæ gessére felícia facta fuére.


℟. vi., In Visitatione B. M. V., Brev. Cist.

20. ℟. O præclára stella maris, Virgo Mater singuláris, quæ cognátam visitásti, Joánnem illuminásti prole præclaríssima: * Te precámur in hoc festo, sis solámen omni mœsto, fuga mortem, confer sortem nobis in cœli pátria.

℣. Ad te clamant omnes rei, larga datrix sanctæ spei, O fons indefíciens! * Te precámur in hoc festo, sis solámen omni mœsto, fuga mortem, confer sortem nobis in cœli pátria.

℟. viii., In Visitatione B. M. V., Brev. Cist.

TERTIUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
NATIVITAS SALVATORIS NOSTRI



21. ℟. Ante multum tempus prophetávit Ezéchiel: Vidi portam clausam; ecce Deus ante sǽcula ex ea procedébat pro salúte mundi: * Et erat íterum clausa, demónstrans Vírginem, quia post partum permánsit virgo.

℣. Porta quam vidísti, Dóminus solus transíbit per illam. * Et erat íterum clausa, demónstrans Vírginem, quia post partum permánsit virgo.

℟. ii., Feria IV infra Hebd. I Adventus, Brev. Rom.

22. ℟. Virgínitas regálem nobis hódie partum divína virtúte operáta est: qua sola puérpera ætérnæ puritátis glória fulget: * Agnum Dei Christum mundi prótulit Redemptórem.

℣. Vere grátia plena es, et gloriósa pérmanes; quia ex te nobis natus est Christus, per quem facta sunt ómnia: * Agnum Dei Christum mundi prótulit Redemptórem.

℟. vii., In Nativitate Domini, Brev. Amb.

23. ℟. Nésciens mater virgo virum, péperit sine dolóre: * Salvatórem sæculórum, ipsum Regem Angelórum, sola Virgo lactábat úbere de cœlo pleno.

℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concépit Fílium. * Salvatórem sæculórum, ipsum Regem Angelórum, sola Virgo lactábat úbere de cœlo pleno.

℟. viii., In Circumcisione Domini et Oct. Nativitatis, Brev. Rom.

24. ℟. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium, et beáta úbera quæ lactavérunt Christum Dóminum. * Qui pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est.

℣. Per te est nobis vita pérdita data, sancta Dei Génitrix, quæ de cœlo suscépisti prolem et mundo genuísti Salvatórem. * Qui pro salúte mundi de Vír-

gine nasci dignátus est.

℟. vii., B. M. V. sub titulo Salus Infirmorum, Off. pr. pro Clericis Regularibus Infirmorum Ministris, Brev. Rom.

25. ℟. O Regem cœli, cui tália famulántur obséquia! Stábulo pónitur, qui cóntinet mundum: * Jacet in præsépio, et in núbibus tonat.

℣. Qui cœlum terrámque regit in sǽcula solus. * Jacet in præsépio, et in núbibus tonat.

℟. vii., In Circumcisione Domini et Oct. Nat., Brev. O. Præd.

26. ℟. O magnum mystérium, et admirábile sacraméntum, ut animália vidérent Dóminum natum, * Jacéntem in præsépio: beáta Virgo, cujus víscera meruérunt portáre Dóminum Christum.

℣. Dómine, audívi audítum tuum, et tímui: considerávi ópera tua, et expávi: in médio duórum animálium. * Jacéntem in præsépio: beáta Virgo, cujus víscera meruérunt portáre Dóminum Christum.

℟. v., In Nativitate Domini, Brev. O. Præm.

27. ℟. Angelus ad pastóres ait: Annúntio vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est vobis Salvátor, * Qui est Christus Dóminus in civitáte David.

℣. Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio. * Qui est Christus Dóminus in civitáte David.

℟. vii., In Nativitate Domini, Brev. Mon.

28. ℟. Quem vidístis, pastóres? Dícite, annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? * Natum vídimus in choro An-

gelórum, Salvatórem Dóminum.

℣. **Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. * Natum vídimus in choro Angelórum, Salvatórem Dóminum.**

℟. iv., In Nativitate Domini, Brev. O. Præm.

29. ℟. **Hódie nobis cœlórum Rex de Vírgine nasci dignátus est, ut hóminem pérditum ad cœléstia regna revocáret: * Gaudet exércitus Angelórum: quia salus ætérna humáno géneri appáruit.**

℣. **Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. * Gaudet exércitus Angelórum: quia salus ætérna humáno géneri appáruit.**


℟. i., In Nativitate Domini, Brev. Rom.

30. ℟. **Descéndit de cœlis Deus verus a Patre génitus, introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána protoparénte édita. * Et exívit per clausam portam Deus et homo, lux et vita, Cónditor mundi.**

℣. **Unigénitum Dei Fílium, quem Pater misit in mundum, in útero sacro concépit Virgo beáta: * Et exívit per clausam portam Deus et homo, lux et vita, Cónditor mundi.**

℟. iii., In Nativitate Domini, Brev. Cist.

QUARTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
OBLATIO CHRISTI IN TEMPLO



31. ℟. Adórna thálamum tuum Sion, et súscipe Regem Christum: * Quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuit, adorávit.

℣. Indúere vestiméntis glóriæ tuæ cívitas Sancti: * Quem virgo concépit,

virgo péperit, virgo post partum, quem génuit, adorávit.

℟. i., In Purificatione B. M. V., Brev. Cist.

32. ℟. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino: * Sicut scriptum est in lege Dómini: Quia omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur.

℣. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum aut duos pullos columbárum. * Sicut scriptum est in lege Dómini: Quia omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur.

℟. ii., In Purificatione B. M. V., Brev. Rom.

33. ℟. Vidéte miráculum, Mater Dómini virgo concépit, viríle ignórans consórtium: * Stat adornáta nóbili pígnore María, et matrem se læta mirátur, quæ se novit in-táctam.

℣. Castæ paréntis víscera, cœléstis intrat grátia, venter puéllæ bájulat secréta, quæ non nóverat. * Stat adornáta nóbili pígnore María, et matrem se læta mirátur, quæ se novit intáctam.

℟. vi., Purificatio B. M. V. et Præsentatio Domini in Templo, Brev. O. Præm.

34. ℟. In cápite libri scriptum est de me, ut fáciam voluntátem tuam; Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei. * Parátum cor meum, Deus cordis mei, parátum cor meum.

℣. Vocáberis volúntas mea in corde tuo. * Parátum cor meum, Deus cordis mei, parátum cor meum.

℟. iv., Purissimi Cordis B. M. V., Proprium pro Congregatione Jesu et Mariæ, Brev. Rom.

35. ℟. Símeon justus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël: * Et Spíritus Dei erat in eo.

℣. Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. * Et Spíritus Dei erat in eo.

℟. vii., Purificatio B. M. V. et Præsentatio Domini in Templo, Brev. O. Præm.

36. ℟. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: et benedíxit Deum, et dixit: * Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine.

℣. Cum ergo cognovísset, accépit eum in ulnas suas, et portábat eum, a quo portabátur, et dixit. * Nunc dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine.

℟. v., Purificatio B. M. V. et Præsentatio Domini in Templo, Brev. O. Præm.

37. ℟. Suscípiens Jesum in ulnas suas Símeon, exclamávit, et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israël.

℣. Símeon in mánibus Infántem accépit: sed majestátem intus agnóvit, et dixit. * Tu es vere lumen ad illuminatiónem Géntium, et glóriam plebis tuæ Israël.

℟. vii., In Purificatione B. M. V., Brev. O. Præd.

38. ℟. Hódie María Virgo púerum Jesum offert in templo, * Quem Símeon justus accépit in bráchia, et Anna vídua Christum agnóvit advenísse in terris.

℣. **Magnum hæreditátis mystérium! Christus pro nobis homo factus, ingréditur in templum: * Quem Símeon justus accépit in bráchia, et Anna vídua Christum agnóvit adveníisse in terris.**

℟. x., In Purificatione B. M. V., Brev. Cist.

39. ℟. Beáta es, Virgo María, et beatíssimum cor tuum, thronus ómnium virtútum, templum sanctæ Trinitátis, fornax divíni amóris. * Sola sine exémplo dilexísti Dóminum nostrum Jesum Christum ex toto corde tuo.

℣. **Ipse Pater amat te, quia tu amásti Fílium ejus únicum. * Sola sine exémplo dilexísti Dóminum nostrum Jesum Christum ex toto corde tuo.**


℟. i., Purissimi Cordis B. M. V., Proprium pro Congregatione Jesu et Mariæ, Brev. Rom.

40. ℟. O María, digníssimum vehículum, per quod Rex glóriæ languéntes páuperes visitáre dignátus est: * Per te quoque pretiósi lápides de valle nostra in montem Dómini ad reparatiónem cœléstis Jerúsalem júgiter deferúntur.

℣. **Infer ígitur córdibus nostris ejus veram dilectiónem, qui per te ad nos venit. * Per te quoque pretiósi lápides de valle nostra in montem Dómini ad reparatiónem cœléstis Jerúsalem júgiter deferúntur.**

℟. ii., Dominica ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

QUINTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
INVENTIO PUERI JESU INTER DOCTORES



41. ℟. Ibant paréntes Jesu per omnes annos in Jerúsalem in die solémni Paschæ: * Ut adimplérent, quod præcéperat Dóminus in lege Móysis.

℣. Tribus vícibus per annum apparébit omne masculínum tuum in cons-

péctu Dómini Dei tui in loco, quem elégerit. * Ut adimplérent, quod præcéperat Dóminus in lege Móysis.

℟. i., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

42. ℟. Remánsit Puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus: existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi. * Et requirébant eum inter cognátos et notos.

℣. Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea. * Et requirébant eum inter cognátos et notos.

℟. ii., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

43. ℟. Non inveniéntes Jesum paréntes ejus, * Regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum.

℣. Quo ábiit Diléctus tuus? Et quærémus eum tecum. * Regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum.

℟. iii., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

44. ℟. Post tríduum invenérunt Jesum paréntes ejus, * In templo sedéntem in médio Doctórum.

℣. Invéni quem díligit ánima mea, ténui eum, nec dimíttam. * In templo sedéntem in médio Doctórum.

℟. iv., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

45. ℟. Invenérunt Jesum in médio Doctórum, * Audiéntem, et interrogántem eos.

℣. Auris áudiens beatificábat illum, et óculus videns testimónium reddébat e-

i. * Audiéntem, et interrogántem eos.

℟. v., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

46. ℟. Stupébant omnes, qui audiébant eum, super prudéntia et respónsis ejus, * Et vidéntes admiráti sunt.

℣. Vox Dómini in virtúte; vox Dómini in magnificéntia. * Et vidéntes admiráti sunt.

℟. vi., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

47. ℟. Dixit ad Jesum Mater ejus: Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

℣. Fili mi, lumen oculórum nostrórum, solátium vitæ nostræ. * Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

℟. vii., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

48. ℟. Quid est quod me quærebátis? dixit Jesus ad paréntes suos: * Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

℣. Servíte Dómino in veritáte, et inquírite ut faciátis, quæ plácita sunt illi. * Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

℟. viii., Inventionis Pueri Jesu in medio Doctorum, Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

49. ℟. Thesáurus abscónditus in agro, quem qui invénit, præ gáudio illíus univérsa quæ habet vendit, et agrum emit: * Est Jesus Christus Maríæ Vírginis Fílius.

℣. In Christo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ abscónditi: thesáurus proínde in agro: * Est Jesus Chris-

tus Maríæ Vírginis Fílius.

℟. vii., Inventionis Pueri Jesu in templo, Supplementum pro Sanctimonialibus Ordinis S. Benedicti Adorationis Perpetuæ SS. Sacramenti, Brev. Mon.

50. ℟. Descéndit Jesus cum Paréntibus, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. * Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines.

℣. Honóra patrem tuum, et matrem tuam: sic præcéperat Dóminus Deus in Lege Móysi, et ita in Fílio suo exémplum nobis præbuit. * Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines.

℟. ix., Santæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Brev. O. Præd.

FERIA III



PRIMUM MYSTERIUM DOLOROSUM
ORATIO ET AGONIA CHRISTI IN HORTO



1. ℟. Turbátus est Jesus spíritu, et protestátus est, et dixit: Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. * Ecce manus tradéntis me mecum est in mensa.

℣. Cum intinxísset panem, dedit Ju-

dæ Simónis Iscariótæ, et post buccéllam introívit in eum Sátanas. * Ecce manus tradéntis me mecum est in mensa.

℟. iv., Reparationis Injuriarum Ss. Cordis Jesu, Off. pr, Congregationis Sacerdotum a S. Corde Jesu, Brev. Rom.

2. ℟. Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic, et vigiláte mecum: nunc vidébitis turbam, quæ circúmdabit me: * Vos fugam capiétis, et ego vadam immolári pro vobis.

℣. Ecce appropínquat hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. * Vos fugam capiétis, et ego vadam immolári pro vobis.

℟. ii., Feria V in Cœna Domini, Brev. Rom.

3. ℟. Senióres pópuli consílium fecérunt, ut Jesum dolo tenérent, et occíderent: * Cum gládiis et fústibus exiérunt tamquam ad latrónem.

℣. Cogitavérunt iniquitátem suam, et egrediebántur foras. * Cum gládiis et fústibus exiérunt tamquam ad latrónem.

℟. vii., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Carm.

4. ℟. In monte Olivéti orávit ad Patrem: Pater, si fíeri potest, tránseat a me calix iste. Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma: * Fiat volúntas tua.

℣. Verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. * Fiat volúntas tua.

℟. i., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Præd.

5. ℟. Una hora non potuístis vigiláre mecum, qui exhortabámini mori pro me? * Vel Judam non vidétis, quómodo

non dormit, sed festínat trádere me Judǽis?

℣. **Quid dormítis? súrgite, et oráte, ne intrétis in tentatiónem. * Vel Judam non vidétis, quómodo non dormit, sed festínat trádere me Judǽis?**

℟. viii., Feria V in Cœna Domini, Brev. Rom.

6. ℟. Ecce turba, et qui vocabátur Judas venit, et dum appropinquáret ad Jesum, ut eum oscularétur, Jesus dixit ad eum: Juda, ósculo tradis Fílium hóminis, * Ad crucifigéndum.

℣. **Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ autem hómini illi, per quem tradétur. * Ad crucifigéndum.**

℟. vi., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Præm.

7. ℟. Amícus meus ósculi me trádidit signo: quem osculátus fúero, ipse est, tenéte eum; hoc malum fecit signum, qui per ósculum adimplévit homicídium. * Infélix prætermísit prétium sánguinis, et in fine láqueo se suspéndit.

℣. **Bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille. * Infélix prætermísit prétium sánguinis, et in fine láqueo se suspéndit.**

℟. iv., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Præm.

8. ℟. Judas mercátor pésimus ósculo pétiit Dóminum: ille ut agnus ínnocens non negávit Judæ ósculum: * Denariórum número Christum Judǽis trádidit.

℣. **Avarítiæ inebriátus venéno, dum sitit lucrum, pervénit ad láquem. * Denariórum número Christum Judǽis trád-**

idit.

℟. iii., Feria III majoris Hebd., Brev. O. Præm.

9. ℟. O Juda, qui dereliquísti consílium pacis, et cum Judǽis consiliátus es: trigínta argénteis vendidísti Sánguinem justum: * Et pacis ósculum ferébas, quod in péctore non habébas.

℣. Os tuum abundávit malítia, et lingua tua concinnábat dolos. * Et pacis ósculum ferébas, quod in péctore non habébas.


℟. ix., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Præm.

10. ℟. Revelábunt cœli iniquitátem Judæ, et terra advérsus eum consúrget: et maniféstum erit peccátum illíus in die furóris Dómini: * Cum eis, qui dixérunt Dómino Deo: Recéde a nobis, sciéntiam viárum tuárum nólumus.

℣. In diem perditiónis servábitur, et ad diem ultiónis ducétur. * Cum eis, qui dixérunt Dómino Deo: Recéde a nobis, sciéntiam viárum tuárum nólumus.

℟. ix., Feria V in Cœna Domini, Brev. O. Præd.

SECUNDUM MYSTERIUM DOLOROSUM
FLAGELLATIO CRUDELIS



11. ℟. Insurrexérunt in me viri iníqui absque misericórdia, quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in fáciem meam spúere, et lánceis suis vulneravérunt me: et concússa sunt ómnia ossa mea: * Ego autem existimábam me

tamquam mórtuum super terram.

℣. **Effudérunt furórem suum in me: fremuérunt contra me déntibus suis. * Ego autem existimábam me tamquam mórtuum super terram.**

℟. iii., Feria II majoris Hebdomadæ, Brev. Rom.

12. ℟. **Tradidérunt me in manus impiórum, et inter iníquos projecérunt me, et non pepercérunt ánimæ meæ: congregáti sunt advérsum me fortes: * Et sicut gigántes stetérunt contra me.**

℣. **Aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. * Et sicut gigántes stetérunt contra me.**

℟. vii., Feria VI in Parasceve, Brev. Rom.

13. ℟. **Aperuérunt super me ora sua, et exprobrántes percussérunt maxíllam meam. * Satiáti sunt pœnis meis.**

℣. **Convulnerávit lumbos meos, concídit me vúlnere super vulnus: non pepércit. * Satiáti sunt pœnis meis.**

℟. vi., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

14. ℟. **Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium, et vicínis meis valde, et timor notis meis: * Et ossa mea conturbáta sunt.**

℣. **Factus sum tanquam vas pérditum, quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu. * Et ossa mea conturbáta sunt.**

℟. i., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

15. ℟. **Ecce ego indúcam super te terrórem, ait Dóminus Deus exercítuum ab ómnibus qui sunt in circúito tuo. ***

Párvulum dedi te in Géntibus, contemptíbilem inter hómines.

℣. **Pavéscere fáciam eum coram inimícis suis, et in conspéctu quæréntium ánimam ejus, et addúcam super eum malum, viam furóris mei.** * **Párvulum dedi te in Géntibus, contemptíbilem inter hómines.**

℟. v., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

16. ℟. **Effúdit super eum Dóminus indignatiónem furóris sui, et forte bellum:** * **Non pósuit ei misericórdiam, et aggravávit super eum jugum suum valde.**

℣. **Quis dedit in direptiónem Jacob, et Israël? Nonne Deus cui peccávimus?** * **Non pósuit ei misericórdiam, et aggravávit super eum jugum suum valde.**

℟. ii., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

17. ℟. **In túrbine contrívit me, et multiplicavérunt vúlnera mea, implévit me amaritudínibus** * **Et pili carnis meæ inhorruérunt.**

℣. **Clamábo vim pátiens, et nemo áudiet, vociferábor et non est qui júdicet?** * **Et pili carnis meæ inhorruérunt.**

℟. vii., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

18. ℟. **In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, impropérium exspectávit cor meum et mi召ériam.** * **Quóniam ego sum pauper et dolens.**

℣. **Quem tu percussísti persecúti sunt, et super dolórem vúlnerum meó-**

rum addidérunt. * Quóniam ego sum pauper et dolens.

℟. iii., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

19. ℟. Usquequo afflígitis ánimam meam, et attéritis me: confúnditis me, et non erubéscitis oppriméntes me. * Saltem in-tellígite quia Deus afflíxerit me, et flagéllis me cínxerit.

℣. Spoliávit me glória mea, irátus est furor ejus, et sic me hábuit quasi hostem suum. * Saltem intellígite quia Deus afflíxerit me, et flagéllis me cínxerit.

℟. viii., SS. Columnæ Flagellationis D. N. J. C., Off. propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.


20. ℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet: ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: * Cujus livóre sanáti sumus.

℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. * Cujus livóre sanáti sumus.

℟. iii., Feria V in Cœna Domini, Brev. Rom.

TERTIUM MYSTERIUM DOLOROSUM

CORONATIO ACERBISSIMA SPINARUM



21. ℟. Maledícta terra in ópere hóminis. * Spinas et tríbulos germinávit Christo.

℣. Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus, ne coméderet. * Spinas et tríbulos germinávit Christo.

℟. i., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

22. ℟. Própio Fílio suo non pepércit; sed pro ómnibus nobis spinis coronándum trádidit illum: * Quia diléxit nos.

℣. Mílites plecténtes corónam de spinis imposuérunt cápiti ejus. * Quia diléxit nos.

℟. i., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom.

23. ℟. Mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum in univérsam cohórtem; * Et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus et arúndinem in déxtera ejus.

℣. Dixérunt: Contumélia et torménto interrogémus eum, ut probémus patiéntiam illíus. * Et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus et arúndinem in déxtera ejus.

℟. iv., Susceptio S. Coronæ Spineæ, Officia propria ad usum Ecclesiæ Nanceiensis, Brev. Rom.

24. ℟. Veste purpúrea circumdedérunt Jesum, et veniébant ad eum, * Et dicébant: Ave, Rex Judæórum.

℣. Subsannavérunt me subsannatióne: frenduérunt super me déntibus suis. * Et dicébant: Ave, Rex Judæórum.

℟. v., Susceptio S. Coronæ Spineæ, Officia propria ad usum Ecclesiæ Nanceiensis, Brev. Rom.

25. ℟. Pópule meus, quid feci tibi? aut quid moléstus fui tibi, pópule stulte et insípiens, ut spinis caput meum perforáres? respónde mihi: * Quia edúxi te de terra Ægýpti, et de domo serviéntium liberávi te?

℣. Meménto, quæso, quæ fécerim tibi. * Quia edúxi te de terra Ægýpti, et de domo serviéntium liberávi te?

℟. iv., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom.

26. ℟. Ego propter te Chananæórum reges percússi, et dedi tibi sceptrum regále: * Et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. * Et tu dedísti cápiti meo spíneam corónam, et percussísti arúndine caput meum.

℟. iv., In Commemoratione Passionis D. N. J. C., Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

27. ℟. Posuísti in cápite Jesu corónam non argénteam candóris et decóris, non aúream fulgóris et honóris, sed spíneam dedécoris et mœróris: * Væ tibi, pópule nequam.

℣. Circumdedísti caput ejus quasi regem sponsum decorátum coróna. * Væ tibi, pópule nequam.

℟. vi., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom. (immutata)

28. ℟. Vidéte, omnes pópuli, et ululáte regem Judæórum, imo ómnium supernórum et infernórum. * Quam dire a matre sua, imo novérca, coronátum.

℣. Plángite, et péctora vestra contúndite ob tale immáne factum, et vidéte. * Quam dire a matre sua, imo novérca, coronátum.

℟. ii., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom.

29. ℟. Generátio prava, atque pervérsa: * Hǽccine reddis Dómino et regi tuo?

℣. Quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluísti! * Hǽccine reddis Dómino et regi tuo?

℟. v., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom.


30. ℟. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus: * Ipse est, qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus.

℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. * Ipse est, qui corónat vos in misericórdia et miseratiónibus.

℟. viii., SS. Spineæ Coronæ D. N. J. C., Officia propria pro aliquibus locis, Brev. Rom.

QUARTUM MYSTERIUM DOLOROSUM

BAJULATIO CRUCIS AD CALVARIUM MONTEM



31. ℟. Vínea mea elécta, ego te plantávi: * Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me crucifígeres et Barábbam dimítteres?

℣. Sepívi te, et lápides elégi ex te, et ædificávi turrim. * Quómodo convérsa

es in amaritúdinem, ut me crucifígeres et Barábbam dimítteres?

℟. iii., Feria VI in Parasceve, Brev. Rom.

32. ℟. Eram quasi agnus ínnocens: ductus sum ad immolándum, et nesciébam: consílium fecérunt inimíci mei advérsum me, dicéntes: * Veníte, mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium.

℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes. * Veníte, mittámus lignum in panem ejus, et eradámus eum de terra vivéntium.

℟. vii., Feria V in Cœna Domini, Brev. Rom.

33. ℟. Deponéntes omne pondus, et circúmstans nos peccátum, per patiéntiam currámus ad propósitum nobis certámen; * Aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem, Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, confusióne contémpta.

℣. Recogitáte enim eum, qui talem sustínuit a peccatóribus advérsum semetípsum contradictiónem, ut ne fatigémini, ánimis vestris deficiéntes. * Aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem, Jesum, qui propósito sibi gáudio sustínuit Crucem, confusióne contémpta.

℟. ii., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

34. ℟. Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est: * Exeámus ígitur ad eum ex-

tra castra, impropérium ejus portántes.

℣. **Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus.** * **Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.**

℟. iv., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

35. ℟. **Si Christum audístis, et in ipso edócti estis, sicut est véritas in Jesu,** * **Depónite vos secúndum prístinam conversatiónem véterem hóminem, qui corrúmpitur secúndum desidéria erróris.**

℣. **Sed induímini Dóminum Jesum Christum; et carnis curam ne fecéritis in desidériis.** * **Depónite vos secúndum prístinam conversatiónem véterem hóminem, qui corrúmpitur secúndum desidéria erróris.**

℟. v., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

36. ℟. **Christus, delens quod advérsus nos erat chirógraphum decréti, quod erat contrárium nobis, et ipsum tulit de médio, affígens illud Cruci;** * **Et exspólians principátus et potestátes, tradúxit confidénter, palam triúmphans illos in semetípso.**

℣. **Redémit nos de maledícto legis, factus pro nobis maledíctum, quia scriptum est: Maledíctus omnis qui pendet in ligno.** * **Et exspólians principátus et potestátes, tradúxit confidénter, palam triúmphans illos in semetípso.**

℟. vi., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

37. ℟. **Christus humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem,**

mortem autem Crucis: * Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen.

℣. Dedit se ut liberáret pópulum suum, et acquíreret sibi nomen ætérnum. * Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen.

℟. i., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

38. ℟. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: * Hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet.

℣. Sed, quia pátiens Dóminus est, in hoc ipso pœniteámus, et indulgéntiam ejus fusis lácrimis postulémus. * Hic peccáta nostra portávit, et pro nobis dolet.

℟. iii., Mysteriorum Viæ Crucis D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

39. ℟. Vadis propitiátor ad immolándum pro ómnibus: non tibi occúrrit Petrus, qui dicébat mori tecum; relíquit te Thomas, qui aiébat: Omnes cum eo moriámur. * Et ne unus ex illis, sed tu solus dúceris, qui castam me confortásti, Fílius et Deus meus.

℣. Promitténtes tecum in cárcerem et in mortem ire; relícto te, fugérunt. * Et ne unus ex illis, sed tu solus dúceris, qui castam me confortásti, Fílius et Deus meus.


℟. i., Septem Dolorum B. M. V., Off. pr. Congregationis Gallicæ O. S. B., Brev. Mon.

40. ℟. Bájulans sibi crucem Jesus exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum; * Et ibi crucifixérunt eum.

℣. **Pósuit in eo Dóminus iniquitátem ómnium nostrum, et vulnerátus est propter iniquitátes nostras; vere dolóres nostros ipse portávit. * Et ibi crucifixérunt eum.**

℟. vi., De Lancea et Clavis D. N. J. C., Off. pr. Sanctorum pro diversitate Locorum, Congregationum et Provinciarum recitanda, juxta concessa unicuique a S. Sede facta, Brev. Mon.

QUINTUM MYSTERIUM DOLOROSUM
CRUCIFIXIO ET MORS IN LIGNO CRUCIS



41. ℟. Lustra sex qui jam perégit, tempus implens córporis: * Sponte líbera Redémptor Passióni déditus, Agnus in crucis levátur immolándus stípite.

℣. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet. * Sponte líbera Red-

émptor Passióni déditus, Agnus in crucis levátur immolándus stípite.

℟. i., De Lancea et Clavis D. N. J. C., Off. Pr. Sanctorum pro diversitate Locorum, Congregationum et Provinciarum recitanda, juxta concessa unicuique a S. Sede facta, Brev. Mon.

42. ℟. Ego feci terram et hóminem super eam creávi ego; manus meæ tetendérunt cœlos, et omni milítiæ eórum mandávi: * Et tu fodísti manus meas, et pedes meos, dinumerásti ómnia ossa mea.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. * Et tu fodísti manus meas, et pedes meos, dinumerásti ómnia ossa mea.

℟. ix., Officium votivum de Passione D.N. J. C., Brev. Mon.

43. ℟. Manus ejus tornátiles, clavórum cúspide terebrátæ, * Humánæ salútis prétio quasi hyacínthis refértæ.

℣. Córnua in mánibus ejus: ibi abscóndita est fortitúdo ejus: sunt enim manus ejus * Humánæ salútis prétio quasi hyacínthis refértæ.

℟. ii., Septem Dolorum B. M. V., Brev. Rom.

44. ℟. Manábat sanguis ejus ex quátuor pártibus rigántibus undis, ligno mánibus pedibúsque confíxis, de vultu illíus pulchritúdo efflúxerat omnis, * Et qui erat speciósus forma præ fíliis hóminum, videbátur ómnium indecórus.

℣. Non erat spécies ei neque decor: vídimus eum, et non erat aspéctus. * Et qui erat speciósus forma præ fíliis hóminum, videbátur ómnium indecórus.

℟. ix., Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Brev. O. Carm.

45. ℟. Agnus Dei Christus immolátus

est pro salúte mundi: nam de paréntis protoplásti fraude facta cóndolens, quando pomi noxiális morsu in mortem córruit, ipse lignum tunc notávit, * Damna ligni ut sólveret.

℣. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis. * Damna ligni ut sólveret.

℟. ix., Sabbato sancto, Brev. O. Præm.

46. ℟. Cum vidísset Jesus Matrem, et discípulum, quem diligébat, stantes juxta crucem, dixit Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus; deínde discípulo: * Ecce Mater tua.

℣. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. * Ecce Mater tua.

℟. ix., In Compassione B. M. V., Brev. O. Præd.

47. ℟. Pássio Dómini, * Ipsam ejus Matrem, carnáli orbitáte gráviter percússam, vehementíssime contristávit.

℣. Ferrum lánceæ militáris, latus quidem Salvatóris, ánimam vero transívit vírginis Matris. * Ipsam ejus Matrem, carnáli orbitáte gráviter percússam, vehementíssime contristávit.

℟. v., Septem Dolorum B. M. V., Brev. Rom.

48. ℟. Sol obscuritáte se índuit: dies se in noctem mutávit: terra se tremóre concússit: et templi scissum est velum. * Cum in cruce móriens Salvátor, trádidit spíritum.

℣. Non defécit ex dolóre Mater ejus, etsi ad mortem usque lassáta est. * Cum in cruce móriens Salvátor, trádidit spíritum.

℟. viii., Pietatis B. M. V., Suppl. pro tota Diœcesi Goana, Brev.

Rom.

49. ℟. Perénniter sit benedícta tua innocentíssima ánima, O Mater ætérnæ lætítiæ, quam dolórum gládius pertránsiit, illum namque libens sustinuísti: * Ut nostras frágiles ánimas non pertransíret gládius mortis perpétuæ.

℣. O veræ dilectiónis pleníssima, da nobis eum perfécte dilígere, qui nobis miserabíliter mórtuis felícem vitam comparávit próprii cordis sánguine. * Ut nostras frágiles ánimas non pertransíret gládius mortis perpétuæ.

℟. ii., Feria VI ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

50. ℟. Diléctus meus cándidus et rubicúndus, et totus desiderábilis: * Omnis enim figúra ejus amórem spirat, et ad redamándum próvocat caput inclinátum, manus expánsæ, pectus apértum.


℣. Piis, O Virgo, spectas eum óculis, contémplans in eo non tam vúlnerum livórem, quam mundi salútem. * Omnis enim figúra ejus amórem spirat, et ad redamándum próvocat caput inclinátum, manus expánsæ, pectus apértum.

℟. i., Septem Dolorum B. M. V., Brev. Rom.

FERIA IV



PRIMUM MYSTERIUM GLORIOSUM
RESURRECTIO CHRISTI A MORTUIS



1. ℟. Mulíeres venérunt ad monuméntum, portántes quæ paráverant arómata, * Et invenérunt lápidem revolútum a monuménto, allelúja.

℣. Et factum est, dum mente consternátæ essent, ecce duo viri stetérunt se-

cus illas in veste fulgénti. * Et invenérunt lápidem revolútum a monuménto, allelúja.

℟. vii., Ssmi. Sepulcri D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

2. ℟. Cum mulíeres timérent, et declinárent vultum suum in terram, Angeli dixérunt ad illas: * Quid quæritis vivéntem cum mórtuis? allelúja; non est hic, sed resurréxit, allelúja.

℣. Recordámini quáliter locútus est vobis, cum adhuc in Galilǽa esset, dicens: Quia opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum, et crucifígi, et die tértia resúrgere. * Quid quæritis viv-éntem cum mórtuis? allelúja; non est hic, sed resurréxit, allelúja.

℟. viii., Ssmi. Sepulcri D. N. J. C., Brev. Rom.-Seraph.

3. ℟. Stetit Jesus in médio dicipulórum suórum, et dixit eis: * Pax vobis; ego sum, nolíte timére, allelúja, allelúja.

℣. Ego sum frater vester, nolíte pavére; pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos: * Pax vobis; ego sum, nolíte timére, allelúja, allelúja.

℟. iii., Feria III Hebdom. Paschæ, Brev. Paris.

4. ℟. O stulti et tardi corde ad credéndum in ómnibus quæ locúti sunt Prophétæ! nonne hæc opórtuit pati Christum, * Et ita intráre in glóriam suam? allelúja, allelúja.

℣. Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte. * Et ita intráre in glóriam suam? allelúja, allelúja.

℟. iii., Fer. II intra Oct. Paschæ, Brev. Eccl. Rotom.

5. ℟. Post dies octo íterum erat discí-

puli Jesu intus, et Thomas cum eis. * Venit Jesus jánuis cláusis, et stetit in médio, et dixit: Pax vobis, allelúja, allelúja.

℣. Bonus est Dóminus sperántibus in eum, ánimæ quærénti illum. * Venit Jesus jánuis cláusis, et stetit in médio, et dixit: Pax vobis, allelúja, allelúja.

℟. iii., Dom. in Oct. Paschæ, Brev. Eccl. Rotom.

6. ℟. Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: * Et noli esse incrédulus, sed fidélis.

℣. Delévi iniquitátes tuas: revértere ad me, quóniam redémi te: * Et noli esse incrédulus, sed fidélis.

℟. vi., In Festo quinque Plagarum Christi, Brev. Paris.

7. ℟. Jesum Nazarénum virum approbátum a Deo virtútibus et prodígiis, per manus iniquórum affigéntes interemístis: * Quem Deus suscitávit, allelúja, allelúja.

℣. Ipse est Deus vivens, et ætérnus in sǽcula, fáciens signa et mirabília in cœlo et in terra: * Quem Deus suscitávit, allelúja, allelúja.

℟. i., Feria V Hebdom. Paschæ, Brev. Paris.

8. ℟. Quæ ad patres nostros repromíssio facta est, hanc Deus adimplévit fíliis nostris, * Resúscitans Jesum, allelúja, allelúja.

℣. Dóminus Deus noster adimplévit misericórdiam suam quam promísit dómui Israël. * Resúscitans Jesum, allelúja, allelúja.

℟. i., Fer. IV intra Hebd. I post Pascha, Brev. Paris.

9. ℟. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? stímulus mortis peccátum est; * Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum, allelúja, allelúja.

℣. Oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres, et abscónditæ ab óculis; * Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum, allelúja, allelúja.

℟. ii., Feria VI Hebdom. Paschæ, Brev. Paris.

10. ℟. Ego sum primus et novíssimus; et vivus, et fui mórtuus, * Et hábeo claves mortis et inférni, allelúja, allelúja, allelúja.

℣. Ego dormívi, et soporátus sum; et exsurréxi quia Dóminus suscépit me. * Et hábeo claves mortis et inférni, allelúja, allelúja, allelúja.

℟. i., In die sancto Paschæ, Brev. Paris.

SECUNDUM MYSTERIUM GLORIOSUM
ASCENSIO CHRISTI IN CŒLUM



11. ℟. Pater, ego te clarificávi super terram; opus consummávi, quod dedísti mihi ut fáciam: * Et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte quam hábui, priusquam mundus esset, apud te, allelúja, allelúja.

℣. Osténde hódie quia tu es Deus Israël, et ego servus tuus, et juxta præcéptum tuum feci ómnia: * Et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte quam hábui, priusquam mundus esset, apud te, allelúja, allelúja.

℟. iii., Vigilia Ascensionis, Brev. Paris.

12. ℟. Consúrge, Dómine Deus, in réquiem tuam, tu et arca fortitúdinis tuæ, allelúja: * Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui, allelúja, allelúja.

℣. Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus claríficet te: * Dómine Deus, ne avérteris fáciem Christi tui, allelúja, allelúja.

℟. i., Vigilia Ascensionis, Brev. Paris.

13. ℟. Edúxit Jesus discípulos foras in Bethániam, et elevátis mánibus, benedíxit eis; et factum est * Dum benedíceret illis, recéssit ab eis, et ferebátur in cœlum, allelúja, allelúja.

℣. Sedébit Dóminus rex in ætérnum: Dóminus benedícet pópulo suo in pace. * Dum benedíceret illis, recéssit ab eis, et ferebátur in cœlum, allelúja, allelúja.

℟. i., In Ascensione Domini, Brev. Paris.

14. ℟. Vidéntibus Apóstolis, * Jesus elevátus est; et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúja, allelúja.

℣. Ascéndit Elías in cœlum; Elisǽus autem vidébat, et clamábat: Pater mi; et non vidit eum ámplius. * Jesus elevátus est; et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúja, allelúja.

℟. ii., In Ascensione Domini, Brev. Paris.

15. ℟. Attóllite portas, príncipes, ves-

tras, et eleváMini, portæ æternáles, allelúja, et introíbit Rex glóriæ. * Quis est iste Rex glóriæ? Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ, allelúja, allelúja.

℣. Hunc Príncipem Deus exaltávit déxtera sua: * Quis est iste Rex glóriæ? Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ, allelúja, allelúja.

℟. ad I Vesp., In Ascensione Domini, Brev. Paris.

16. ℟. Viri Galilǽi, quid statis aspiciéntes in cœlum? hic Jesus qui assúmptus est a vobis in cœlum, * Sic véniet quemádmodum vidístis eum euntem in cœlum, allelúja, allelúja.

℣. Ad judícium véniet cum sénibus pópuli sui, et princípibus ejus: * Sic véniet quemádmodum vidístis eum euntem in cœlum, allelúja, allelúja.

℟. ad I Vesp., Octava Ascensionis, Brev. Paris.

17. ℟. Ascéndit Deus in júbilo: * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro; quóniam rex omnis terræ Deus, allelúja, allelúja.

℣. Dóminus Jesus assúmptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. * Psállite Deo nostro, psállite Regi nostro; quóniam rex omnis terræ Deus, allelúja, allelúja.

℟. iii., In Ascensione Domini, Brev. Paris.

18. ℟. Christus Jesus in sempitérnum sedet in déxtera Dei, de cætero * Expéctans donec ponántur inimíci ejus scabéllum pedum ejus, allelúja, allelúja.

℣. Dómini est regnum; et ipse domi-

nábitur géntium. * Expéctans donec ponántur inimíci ejus scabéllum pedum ejus, allelúja, allelúja.

℟. iii., Feria VI intra Oct. Ascensionis, Brev. Paris.

19. ℟. Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * A summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus, allelúja, allelúja.

℣. Nemo ascéndit in cœlum, nisi qui descéndit de cœlo, Fílius hóminis, qui est in cœlo. * A summo cœlo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus, allelúja, allelúja.

℟. ii, In Ascensione Domini, Brev. Eccl. Rotom.


20. ℟. Exaltáre, Dómine, in virtúte tua, allelúja: * Cantábimus et psallémus virtútes tuas, allelúja, allelúja.

℣. Grátias ágimus tibi, Dómine Deus omnípotens, quia accepísti virtútem tuam magnam, et regnásti: * Cantábimus et psallémus virtútes tuas, allelúja, allelúja.

℟. i., Dominica intra Oct. Ascensionis, Brev. Paris.

TERTIUM MYSTERIUM GLORIOSUM

Missio Spiritus Sancti ad beatam Mariam Virginem et Apostolos



21. ℟. Si dilígitis me, mandáta mea serváte: * Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, allelúja, allelúja.
℣. Dilígite Dóminum, omnes sancti e-

jus; et confortétur cor vestrum, omnes qui sperátis in Dómino: * Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, allelúja, allelúja.

℟. iii., In Vigilia Pentecostes, Brev. Paris.

22. ℟. Cum vénerit Paráclitus qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me: * Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis, allelúja, allelúja.

℣. Ego sum Dóminus, et non est absque me Salvátor: ego salvávi; vos testes mei, et ego Deus. * Et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis, allelúja, allelúja.

℟. iii., Dom. intra Oct. Ascensionis, Brev. Paris.

23. ℟. Super servos meos et ancíllas in diébus illis effúndam Spíritum meum: * Et dabo prodígia in cœlo et in terra; et erit: Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit, allelúja, allelúja.

℣. Oportébat Christum pati, et resúrgere a mórtuis: vos autem testes estis horum; et ego mitto promíssum Patris mei in vos. * Et dabo prodígia in cœlo et in terra; et erit: Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit, allelúja, allelúja.

℟. ad I Vesp., In die sancto Pentecostes, Brev. Paris.

24. ℟. Numerábitis vobis ab áltero die Sábbati azymórum quinquagínta dies; et sic offerétis sacrifícium novum Dómino: et * Vocábitis hunc diem celebérri-

mum atque sanctíssimum, allelúja, allelúja.

℣. **Cum compleréntur dies Pentecostes, erant omnes páriter in eódem loco, et repléti sunt Spíritu sancto: * Vocábitis hunc diem celebérrimum atque sanctíssimum, allelúja, allelúja.**

℟. i., In die sancto Pentecostes, Brev. Paris.

25. ℟. Factus est repénte de cœlo sonum tamquam adveniéntis spíritus veheméntis: * Sedit ignis supra síngulos eórum; et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis, allelúja, allelúja.

℣. **Dóminus de Sínai venit; in déxtera ejus ígnea lex: et qui appropínquant pédibus ejus, accípient de doctrína illíus. * Sedit ignis supra síngulos eórum; et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis, allelúja, allelúja.**

℟. ii., In die sancto Pentecostes, Brev. Paris.

26. ℟. Petrus cum Undecim, locútus est eis: Pœniténtiam ágite, * Et baptizétur unusquísque vestrum in remissiónem peccatórum; et accipiétis donum Spíritus sancti, allelúja, allelúja.

℣. **Usquequo stulti ea quæ sibi sunt nóxia cúpient? Convertímini ad correptiónem meam; * Et baptizétur unusquísque vestrum in remissiónem peccatórum; et accipiétis donum Spíritus sancti, allelúja, allelúja.**

℟. i., Feria II Hebdom. Pentecostes, Brev. Paris.

27. ℟. Qui recepérunt sermónem Pet-

ri, baptizáti sunt: erant autem perseverántes in doctrína Apostolórum; * Omnes étiam qui credebánt, erat páriter, et habébant ómnia commúnia, allelúja, allelúja.

℣. Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum; quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem: * Omnes étiam qui credebánt, erat páriter, et habébant ómnia commúnia, allelúja, allelúja.

℟. ii., Feria II Hebdom. Pentecostes, Brev. Paris.

28. ℟. Loquénte Petro, cécidit Spíritus sanctus super omnes qui audiébant verbum: et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, quia * Et in natiónes grátia Spíritus sancti effúsa est, allelúja, allelúja.

℣. Non est apud Deum nostrum personárum accéptio. * Et in natiónes grátia Spíritus sancti effúsa est, allelúja, allelúja.

℟. i., Feria IV Hebdom. Pentecostes, Brev. Paris.

29. ℟. Quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex Spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi: Opórtet vos nasci dénuo. * Spíritus ubi vult spirat, allelúja, allelúja.

℣. Quis adjúvit Spíritum Dómini, aut quis consiliárius ejus fuit, et osténdit illi? * Spíritus ubi vult spirat, allelúja, allelúja.

℟. iii., Feria II Hebdom. Pentecostes, Brev. Paris.

30. ℟. Recordátus est Dóminus pópuli sui: edúxit eos cum pastóribus gregis

sui: * Pósuit in médio ejus Spíritum sancti sui, allelúja, allelúja.

℣. Ipse dedit pastóres et doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: * Pósuit in médio ejus Spíritum sancti sui, allelúja, allelúja.

℟. iii., Feria III Hebdom. Pentecostes, Brev. Paris.

QUARTUM MYSTERIUM GLORIOSUM

ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IN CŒLUM



31. ℟. Concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini: * Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. Vidébitur Deus deórum in Sion.

℣. Scio quia secúndum expectatión-

em et spem meam in nullo confúndar. * Cor meum et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. Vidébitur Deus deórum in Sion.

℟. ii., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

32. ℟. Quid mihi est in cœlo, et * A te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea in ætérnum.

℣. Mihi vívere Christus est, et mori, lucrum. * A te quid vólui super terram? Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea in ætérnum.

℟. i., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

33. ℟. In sanctitáte fúlgida, et plena felicitáte complévit dies suos sanctíssima María Virgo. * Hacque die clara suscépit cœléstia gáudia.

℣. Pulchra fácie, sed púlchrior fide, felicíssima María Virgo. * Hacque die clara suscépit cœléstia gáudia.

℟. vi., Commune unius Matronæ, Brev. O. Carm. (immutata)

34. ℟. En diléctus meus lóquitur mihi: * Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni.

℣. Spíritus et sponsa dicunt: Veni; et qui audit dicat: Veni. * Surge, própera amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni.

℟. ad I Vesp., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

35. ℟. Tota pulchra es, amíca mea, et * Mácula non est in te; veni de Líbano: odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℣. Qui non inquinavérunt vestiménta sua, ambulábunt mecum in albis, quia

digni sunt. * Mácula non est in te; veni de Líbano: odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℟. v., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

36. ℟. Quæ est ista, quæ ascéndit per desértum, * Sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris.

℣. Datæ sunt mulíeri alæ duæ, ut voláret in locum suum. * Sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris.

℟. ii., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

37. ℟. Quæ est ista quæ * Ascéndit de desérto delíciis áffluens, innixa super diléctum suum?

℣. María de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus. * Ascéndit de desérto delíciis áffluens, innixa super diléctum suum?

℟. iii., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

38. ℟. Anteíbit fáciem tuam justítia tua, * Et glória Dómini cólliget te; et Dóminus implébit splendóribus ánimam tuam.

℣. Abundánter ministrábitur intróitus in ætérnum regnum; * Et glória Dómini cólliget te; et Dóminus implébit splendóribus ánimam tuam.

℟. vi., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

39. ℟. Qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, * Et dixit mihi: Inter eléctos meos hereditáre, et sic in Sion firmáta sum.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes; quia fecit mihi magna qui potens est. * Et dixit mihi: Inter eléctos meos hereditáre, et sic in Sion firmáta sum.

℟. vii., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

40. ℟. Te Sanctum Dóminum in excélsis laudant omnes Angeli dicéntes: * Te decet laus et honor, Dómine.

℣. Chérubim atque Séraphim, omnísque cœlicus ordo, pro tua glória, O Virgo, laudes proclámat Dómino, dicens: * Te decet laus et honor, Dómine.

℟. i., Feria II ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

QUINTUM MYSTERIUM GLORIOSUM
CORONATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IN CŒLO



41. ℟. Surréxit Rex in occúrsum matris, et sedit super thronum suum; * Positúsque est thronus matri Regis, quæ sedit ad déxteram ejus.

℣. Péperit Fílium másculum qui rec-

túrus erat omnes Gentes. * Positúsque est thronus matri Regis, quæ sedit ad déxteram ejus.

℟. iv., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

42. ℟. Adamávit eam Rex plusquam omnes mulíeres, habuítque grátiam et misericórdiam coram eo, * Et pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre.

℣. Respéxit humilitátem ancíllæ suæ. * Et pósuit diadéma regni in cápite ejus, fecítque eam regnáre.

℟. vii., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

43. ℟. Apértum est templum Dei in cœlo, et signum magnum appáruit in cœlo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et * In cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℣. Astitit regína a dextris tuis, Deus, in vestítu deauráto circúmdata varietáte. * In cápite ejus coróna stellárum duódecim.

℟. ix., In Assumptione B. M. V., Brev. Paris.

44. ℟. Cértamen forte dedit tibi Dóminus, O Regína, ut vínceres: * Et quóniam vicísti, dedit tibi potestátem super gentes, et exaltávit te super omnes choros Angelórum.

℣. Revocávit me gaudéntem in victória sua, in evasióne mea et liberatióne vestra. * Et quóniam vicísti, dedit tibi potestátem super gentes, et exaltávit te super omnes choros Angelórum.

℟. v., In Solemn. Liberationis Urbis Aniciensis ab hæreticis, Off. pr. Diœcesis Aniciensis, Brev. Rom.

45. ℟. Præpósita ómnibus, gubérnat

créditam sibi domum et univérsa, quæ ei sunt trádita, * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra.

℣. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. * Absque ejus império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra.

℟. v., B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, Off. Pr. Congr. Sacerdotum a S. Corde Jesu, Brev. Rom.

46. ℟. Thronus ejus erit stábilis coram Dómino * Usque in sempitérnum.

℣. Benedícta tu inter mulíeres et benedíctus fructus ventris tui. * Usque in sempitérnum.

℟. viii., In Assumptione B. M. V., Brev. Eccl. Rotom.

47. ℟. Facta est María refúgium páuperi, * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne.

℣. Virgo potens sicut turris David: mille clýpei pendent ex ea, omnis armatúra fórtium. * Adjútrix in opportunitátibus, in tribulatióne.

℟. vii., B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, Off. Pr. Congr. Sacerdotum a S. Corde Jesu, Brev. Rom.

48. ℟. Gloriósa dicta sunt de te, O María Regína cœli, Dómina mundi: * Quia ex te natus, et tibi súbditus est Rex regum et Dóminus dominántium.

℣. Super áspidem et basilíscum ambulásti et conculcásti leónem et dracónem. * Quia ex te natus, et tibi súbditus est Rex regum et Dóminus dominántium.

℟. vi., In Solemn. Liberationis Urbis Aniciensis ab hæreticis, Off. pr. Diœcesis Aniciensis, Brev. Rom.

49. ℟. María, summæ Trinitátis, te et ómnia in se concludéntis domicílium, ómnium virtútum flóribus redimítum, dispensátrix prudentíssima, circúmda míseros protectióne tua: * Et réfove famélicos tua benígna providéntia.

℣. Réspice propítia, perícula populórum, captivórum gémitus, tribulatiónes orphanórum, ut omnes sibi séntiant tuam providéntiam profuísse: * Et réfove famélicos tua benígna providéntia.

℟. iii., Dominica ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

50. ℟. O cœléstis Regína, quæ nobis refúgium facta es et interpellátrix apud Deum: óptima Dómina, misericórdiam exténde super nos; * O vigil et dulcis Mater, réspice fílios tuos, ad salvándum potentíssima.

℣. Dévios révoca, mórtuos súscita, cunctos dírige in viam pacis, nam óculi ómnium in te sperant. * O vigil et dulcis Mater, réspice fílios tuos, ad salvándum potentíssima.

℟. viii., Immaculati Cordis B. M. V. Refugium Peccatorum, Suppl. pro Congr. S. Spiritus sub invocatione Immaculati Cordis B. M. V., Brev. Rom.

FERIA V


Beati:mites:quoniã:ipsi:possidebunt:terrã:
Beati:qui:lugent:quoniam:ipsi:consolabuntur: Beati:qui:esuriunt:et:sitiunt:justitiã:
quoniam:ipsi:saturabuntur. Matth: C:V.
Beati:pauperes:spiritu:quoniam:ipsorum:est:regnum:cœlorum:

PRIMUM MYSTERIUM LUMINOSUM
CHRISTUS BAPTIZATUR APUD FLUMEN JORDANIS



1. ℟. Factum est verbum Dómini super Joánnem Zacharíæ fílium, in desérto; * Et venit in omnem regiónem Jordánis, prǽdicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum.

℣. Hic est qui dictus est per Isaíam Prophétam: Vox clamántis in desérto; Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. * Et venit in omnem regiónem Jordánis, prǽdicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum.

℟. xi., Nativitas S. Joannis Baptistæ, Brev. Congr. S. Mauri

2. ℟. Ego quidem baptízo in aqua in pœniténtiam: qui autem post me ventúrus est, fórtior me est: * Ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni.

℣. Ipse est qui post me ventúrus est, qui ante me factus est, cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceaménti. * Ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igni.

℟. xii., Nativitas S. Joannis Baptistæ, Brev. Congr. S. Mauri

3. ℟. Factum est in diébus illis venit Jesus a Názareth Galilǽæ: * Et baptizátus est a Joánne in Jordáne.

℣. Véterem hóminem rénovans Salvátor venit ad baptísmum: ut natúram, quæ corrúpta erat, per aquam recuperáret, incorruptíbili veste circumamíctans nos. * Et baptizátus est a Joánne in Jordáne.

℟. iv., In Oct. Epiphaniæ et Baptismo Domini, Brev. Paris. (immutata)

4. ℟. Vidit Joánnes Jesum veniéntem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei; * Ecce qui tollit peccátum mundi.

℣. Justificábit ipse multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. * Ecce qui tollit peccátum mundi.

℟. ix., Oct. Epiphaniæ et Baptismus Domini, Brev. Congr. S. Mauri

5. ℟. Joánnes prohibébat Jesum dicens: Ego a te débeo baptizári, et tu venis ad me? Jesus dixit: * Sine modo, sic enim decet nos implére omnem justítiam.

℣. Baptísta contrémuit, et non audet tángere sanctum Dei vérticem, sed clamat cum tremóre: Sanctífica me, Dómine. * Sine modo, sic enim decet nos implére omnem justítiam.

℟. v., Oct. Epiphaniæ et Baptismus Domini, Brev. Congr. S. Mauri (immutata)

6. ℟. Jesu baptizáto et oránte, apértum est cœlum; et * Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum.

℣. Flos de radíce Jesse ascéndet: et requiéscet super eum Spíritus Dómini. * Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum.

℟. v., In Oct. Epiphaniæ et Baptismo Domini, Brev. Paris.

7. ℟. Vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cœlo, et mansit super eum; * Vidi, et testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei.

℣. Deus osténdit illi glóriam suam; audívit enim eum, et vocem ipsíus. * Vidi, et testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei.

℟. ix., In Oct. Epiphaniæ et Baptismo Domini, Brev. Paris.

8. ℟. Ecce vox de cœlis, dicens: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui.

℣. Vox Dómini super aquas, Deus majestátis intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi complácui.

℟. vi., In Oct. Epiphaniæ et Baptismo Domini, Brev. Paris.

9. ℟. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu; ego hódie génui te: * Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, et possesiónem tuam términos terræ.

℣. Sic præcépit Dóminus: Pósui te in lucem géntium, ut sis salútem usque ad extrémum terræ. * Póstula a me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, et possesiónem tuam términos terræ.

℟. ii., Oct. Epiphaniæ et Baptismus Domini, Brev. Congr. S. Mauri

10. ℟. Ecce aquæ egrediebántur ad oriéntem, et ait Dóminus: Aquæ istæ sanabúntur; * Et vivent ómnia ad quæ vénerit torrens, quia aquæ de sanctuário egrediéntur.

℣. Osténdit mihi Angelus flúvium aquæ vitæ, procedéntem de sede Dei et Agni, et ex utráque parte flúminis lignum vitæ. * Et vivent ómnia ad quæ vénerit torrens, quia aquæ de sanctuário egrediéntur.

℟. iii., In Octava Epiphaniæ et Baptismo Domini, Brev. Paris.

SECUNDUM MYSTERIUM LUMINOSUM

INITIO SIGNORUM CHRISTI IN CANA GALILÆÆ



11. ℟. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ, et erat Mater Jesu ibi: * Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias.

℣. Accessérunt ad convívium, sed et cum timóre Dómini nuptiárum convívium exercébant. * Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias.

℟. i., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

12. ℟. Deficiénte vino, dicit Mater Jesu ad eum: * Vinum non habent.

℣. Inclína, Deus meus, aurem tuam, et audi: áperi óculos tuos, et vide. * Vinum non habent.

℟. ii., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

13. ℟. Dicit Matri Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? * Nondum venit hora mea.

℣. Atténde Dómine, et fac: ne moréris propter temetípsum, Deus meus. * Nondum venit hora mea.

℟. iii., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

14. ℟. Dicit Mater Jesu minístris: * Quodcúmque díxerit vobis, fácite.

℣. Quia omne, quod volúerit, fáciet: et sermo illíus potestáte plenus est. * Quodcúmque díxerit vobis, fácite.

℟. iv., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

15. ℟. Dicit minístris Jesus: * Impléte hýdrias aqua, hauríte, et ferte architriclíno.

℣. Verbum meum, quod egrediétur de ore meo, non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui. * Impléte hýdrias aqua, hauríte, et ferte architriclíno.

℟. v., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

16. ℟. Gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset; * Minístri autem sciébant qui háuserant aquam.

℣. Magnália honóris ejus vidit óculus illórum, et honórem vocis audiérunt aures illórum. * Minístri autem sciébant qui háuserant aquam.

℟. vi., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

17. ℟. Vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: * Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius est: tu autem servásti bonum vinum usque adhuc.

℣. Ego Dóminus Deus eórum, et exáudiam eos: et lætábitur cor eórum quasi a vino, et exultábit cor eórum in Dómino. * Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriáti fúerint, tunc id quod detérius est: tu autem servásti bonum vinum usque adhuc.

℟. vii., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph. (immutata)

18. ℟. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilǽæ, et manifestávit glóriam suam, * Et credidérunt in eum discípuli ejus.

℣. Narrántes laudes Dómini, et virtútes ejus, et mirabília ejus, quæ fecit. * Et credidérunt in eum discípuli ejus.

℟. viii., Initii Signorum D. N. J. C. in Cana Galilææ, Qædam officia novissima pro locis Terræ Sanctæ, Brev. Rom.-Seraph.

19. ℟. Quis investigábit magnália Dei? * Virtútem autem magnitúdinis ejus

quis enuntiábit? Aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus?

℣. Magnus est, et non habet finem; excélsus et imménsus. * Virtútem autem magnitúdinis ejus quis enuntiábit? Aut quis adjíciet enarráre misericórdiam ejus?

℟. v., Dom. V post Epiph., Brev. Congr. S. Mauri


20. ℟. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit: * Annuntiáte hoc in univérsa terra.

℣. Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: notas fácite in pópulis adinventiónes ejus: mementóte quóniam excélsum est nomen ejus. * Annuntiáte hoc in univérsa terra.

℟. iv., Insignis Miraculi SS. Sacramentum, Off. Pr. pro Ecclesis Savonensi et Naulensi, Brev. Rom.

TERTIUM MYSTERIUM LUMINOSUM

CHRISTUS PRÆDICAT SANCTUM EVANGELIUM SUUM



21. ℟. Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me; * Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde, et prædicáre annum Dómini accéptum et diem retributiónis.

℣. **Hódie impléta est prophetía hæc in áuribus vestris, dixit Dóminus Jesus. * Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde, et prædicáre annum Dómini accéptum et diem retributiónis.**

℟. viii., Solemnitas Domini Jesu, Off. Pr, Congregationis Oratorii Domini Jesu et Mariæ Immaculatæ, Brev. Rom.

22. ℟. Prophétam suscitábo eis, et ponam verba mea in ore ejus; * Loquetúrque ad eos ómnia quæ præcépero illi.

℣. **Mittam Fílium meum diléctum. Hic est vere Prophéta qui ventúrus est in mundum. * Loquetúrque ad eos óm-nia quæ præcépero illi.**

℟. vii., Dom. II Adv., Brev. Congr. S. Mauri

23. ℟. Locútus est Jesus: Ego sum lux mundi: * Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ.

℣. **In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. * Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ.**

℟. iii., Sabbato Hebd. IV Quadr., Brev. Paris.

24. ℟. Mirabántur in verbis grátiæ, quæ procedébant de ore Jesu, et dicébant: * Nonne hic est fílius Joseph? Cujus nos nóvimus patrem et matrem.

℣. **Quómodo ergo dicit hic, quia de cœlo descéndi? * Nonne hic est fílius Joseph? Cujus nos nóvimus patrem et matrem.**

℟. ix., Commemoratio solemnis S. Joseph Sponsi B. M. V., Brev. O. Præm.

25. ℟. Locútus est Jesus in parábolis

ad turbas, ut impleretur quod dictum est prophétam: * Eructábo abscóndita a constitutióne mundi.

℣. **Apériam in parábolis os meum; loquar propositiónes ab inítio: * Eructábo abscóndita a constitutióne mundi.**

℟. vii., Dom. VI post Epiphaniam, Brev. Paris.

26. ℟. Ego pascam oves meas: * Quod períerat, requíram; et quod abjéctum erat, redúcam; et quod infírmum fúerat, consolidábo.

℣. **Venit Fílius hóminis quǽrere, et salvum fácere quod períerat. * Quod períerat, requíram; et quod abjéctum erat, redúcam; et quod infírmum fúerat, consolidábo.**

℟. ix., Dom. III post Pent., Brev. Paris.

27. ℟. Tribulárer, si nescírem misericórdias tuas, Dómine: tu dixísti, Nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat: * Qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pœniténtiam.

℣. **Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam. * Qui Chananǽam et publicánum vocásti ad pœniténtiam.**

℟. i., Feria V infra Hebd. I Quadr., Brev. Rom.

28. ℟. Dixit Marthæ Jesus: Ego sum resurréctio et vita. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia * Tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

℣. **Tu es, Dómine, qui vitæ et mortis habes potestátem, et dedúcis ad portas**

mortis, et redúcis. * Tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

℞. vi., Ss. Lazari, Marthæ et Mariæ, Brev. Paris.

29. ℞. Sublevátis óculis in cœlum Jesus, dixit: * Pater, hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem missísti Jesum Christum.

℣. Nosse te, Deus, consummáta justítia est: et scire justítiam et virtútem tuam, radix est immortalitátis. * Pater, hæc est vita ætérna, ut cognóscant te solum Deum verum, et quem missísti Jesum Christum.


℞. v., Dominica Trinitatis, Brev. Paris.

30. ℞. Ego quasi nutrítius Ephraim, portábam eos in bráchiis meis; et nesciérunt quod curárem eos: * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis.

℣. Nemo potest veníre ad me, nisi Pater qui misit me tráxerit eum: omnis qui audívit a Patre, et dídicit, venit ad me. * In funículis Adam traham eos, in vínculis caritátis.

℞. i., Dominica III Adventus, Brev. Paris.

QUARTUM MYSTERIUM LUMINOSUM
TRANSFIGURATIO CHRISTI IN MONTE THABOR



31. ℟. Assúmens Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, * In montem excélsum ascéndit: ibíque se transfigúrans, suæ glóriæ claritátem eis osténdit.

℣. Ne vidéntes ejus passiónem turbaréntur, sed fortióri soliditáte firmaréntur. * In montem excélsum ascéndit: ibíque se transfigúrans, suæ glóriæ claritátem eis osténdit.

℟. ix., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. O. Carm.

32. ℟. Assúmptis hódie Dóminus Jesus tribus discípulis, montem ut oráret súbiit excélsum solus, et orans coram eis transfigurátus est, faciésque ejus ut sol resplénduit: * Ac vestiménta ejus ut nix facta sunt cándida.

℣. Ut autem testimónium habéret a Lege et Prophétis, hinc inde Móyses et Elías visi sunt in majestáte: * Ac vestiménta ejus ut nix facta sunt cándida.

℟. viii., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Cist.

33. ℟. Dum orásset Dóminus, facta est species vultus ejus áltera, et vestítus ejus albus ac refúlgens: * Et duo viri loquebántur cum illo, Móyses et Elías, visi in majestáte.

℣. Dicébant autem excéssum ejus, quem completúrus erat in Jerusálem. * Et duo viri loquebántur cum illo, Móyses et Elías, visi in majestáte.

℟. xii., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Mon.

34. ℟. Ecce vir stetit in veste cándida, lucens in virtúte sua, dignus accípere glóriam, et honórem, et virtútem: * Et súbito lux de cœlo copiósa circumfúlsit discípulos.

℣. Edúxit ad dextram Móysen, et Elíam bráchio majestátis suæ, loquéntes excéssum ejus in Jerúsalem. * Et súbi-

to lux de cœlo copiósa circumfúlsit discípulos.

℟. ix., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. O. Præm.

35. ℟. Præcéptor, bonum est nos hic esse: * Faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

℣. Non enim sciébat quid díceret. * Faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

℟. v., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Rom.

36. ℟. In splendénti nube Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte.

℣. Appáruit nubes obúmbrans, et vox Patris intónuit. * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui; ipsum audíte.

℟. ii., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Rom.

37. ℟. Dum fíeret vox, invéntus est Jesus solus: * Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde: dixítque eis Jesus: Súrgite, et nolíte timére.

℣. Deus majestátis intónuit: vox Dómini in virtúte, vox Dómini in magnificéntia. * Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde: dixítque eis Jesus: Súrgite, et nolíte timére.

℟. viii., In Transfiguratione Domini, Brev. Paris.

38. ℟. Descendéntibus illis de monte, præcépit Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, quam vidístis: * Donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

℣. Ne mors ejus áliquo modo impedirétur, si hæc vísio in pópulo statim divulgarétur. * Donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

℟. xi., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Cist.

39. ℟. Deus qui dixit de ténebris lucem splendéscere, * Ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu.

℣. Ecce osténdit nobis Dóminus Deus noster majestátem et magnitúdinem suam: vocem ejus audívimus. * Ipse illúxit in córdibus nostris, ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei in fácie Christi Jesu.

℟. ix., In Transfiguratione Domini, Brev. Paris.


40. ℟. Si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur; * Multo magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória.

℣. Amplióris enim glóriæ Christus præ Móyse dignus est habitus, quanto ampliórem honórem habet domo, qui fabricávit eam. * Multo magis ministrátio spíritus, quæ manet, erit in glória.

℟. vi., In Transfiguratione D. N. J. C., Brev. Rom.

QUINTUM MYSTERIUM LUMINOSUM

CHRISTUS INSTITUIT SACRATISSIMUM SACRAMENTUM ALTARIS



41. ℟. Memóriam fecit mirabílium suórum, miséricors et miserátor Dóminus: * Escam dedit timéntibus se: memor erit in sǽculum testaménti sui.

℣. Jesus cum dilexísset suos, qui er-

ant in mundo, in finem diléxit eos. * Escam dedit timéntibus se: memor erit in sǽculum testaménti sui.

℟. ad I Vesp., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Paris.

42. ℟. Transitúrus de mundo ad Patrem Jesus, in mortis suæ memóriam * Instítuit sui córporis et sánguinis Sacraméntum.

℣. Corpus in cibum, sánguinem in potum tríbuens: Hoc, ait, fácite in meam commemoratiónem. * Instítuit sui córporis et sánguinis Sacraméntum.

℟. xii., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Mon.

43. ℟. Cœnántibus illis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, et ait: * Accípite et comédite: hoc est corpus meum.

℣. Dixérunt viri tabernáculi mei: Quis det de cárnibus ejus, ut saturémur? * Accípite et comédite: hoc est corpus meum.

℟. iv., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Rom.

44. ℟. Accépit Jesus cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sanguine: * Hoc fácite in meam commemoratiónem.

℣. Memória memor ero, et tabéscet in me ánima mea. * Hoc fácite in meam commemoratiónem.

℟. v., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Rom.

45. ℟. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, * In me manet, et ego in eo.

℣. Non est ália nátio tam grandis, quæ hábeat deos appropinquántes sibi, sic-

ut Deus noster adest nobis. * In me manet, et ego in eo.

℟. vii., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Rom.

46. ℟. Ego sum panis vitæ; patres vestri manducavérunt manna in deséro, et mórtui sunt: * Hic est panis de cœlo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur.

℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. * Hic est panis de cœlo descéndens, ut, si quis ex ipso mandúcet, non moriátur.

℟. vi., In Festo SS. Corporis Christi, Brev. Rom.

47. ℟. Angelórum esca nutris pópulum tuum, Dómine, panem de cœlo dans nobis omne delectaméntum in se habéntem: * Substántiam, et dulcédinem tuam quam habes in fílios ostendéndo.

℣. Dómine, qui das vitam mundo, semper da nobis panem verum. * Substántiam, et dulcédinem tuam quam habes in fílios ostendéndo.

℟. x., In Festo Corporis Christi, Brev. Cist.

48. ℟. Melchísesech Rex Salem, Sacérdos Dei altíssimi, próferens panem et vinum, præfigurávit Córporis Christi * Sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

℣. Introívit Jesus pro nobis secúndum órdinem Melchísesech, semel offeréndo seípsum: * Sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

℟. iii., In Festo Corporis Christi, Brev. Cist.

49. ℟. Vidit Regína Saba sapiéntiam Salomónis, domum quam ædificáverat,

cibos mensæ ejus, offícia ministrórum, et vestiménta eórum: * Et admírans, dixit: Beáti servi tui, qui áudiunt sapiéntiam tuam.

℣. Regína Austri venit a fínibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis: * Et admírans, dixit: Beáti servi tui, qui áudiunt sapiéntiam tuam.


℟. xi., In Festo Corporis Christi, Brev. Cist.

50. ℟. Gaudeámus et exultémus, et demus glóriam Deo, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se. * Beáti qui ad cœnam nuptiárum ejus vocáti sunt.

℣. Assuérus pro conjunctióne, et núptiis Hester permagníficum convívium præparávit. * Beáti qui ad cœnam nuptiárum ejus vocáti sunt.

℟. xii., In Festo Corporis Christi, Brev. Cist.

FERIA VI


I·N·R·I
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem,
Pertransivit gladius.

PRIMUM MYSTERIUM DOLOROSUM
ORATIO ET AGONIA CHRISTI IN HORTO



1. ℟. Post hebdómades sexagínta duas * Occidétur Christus; et in médio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium.
℣. Fílius hóminis tradétur Princípibus Sacerdótum, et condemnábunt eum morte. * Occidétur Christus; et in mé-

dio hebdómadis defíciet hóstia et sacrifícium.

℟. i., Dominica Palmarum, Brev. Paris.

2. ℟. Intrávit Sátanas in Judam, et locútus est cum Princípibus Sacerdótum, quemádmodum Jesum tráderet eis; et * Pacti sunt pecúniam illi dare, et spopóndit.

℣. Sedet peccátor in insídiis cum divítibus in occúltis, ut interfíciat innocéntem. * Pacti sunt pecúniam illi dare, et spopóndit.

℟. ii., Feria IV in majoris Hebd., Brev. Paris.

3. ℟. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteos, * Decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis.

℣. Ait Judas: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituérunt trigínta argénteos, * Decórum prétium, quo appretiátus sum ab eis.

℟. iii., Feria IV in majoris Hebd., Brev. Paris.

4. ℟. Fílius hóminis vadit, sicut scriptum est de illo; væ autem hómini illi per quem Fílius hóminis tradétur: * Bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille.

℣. Diléxit maledictiónem, et véniet ei; et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo. * Bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille.

℟. iv., Feria V in Cœna Domini, Brev. Congr. S. Mauri

5. ℟. Contristátus sum in exercitatióne mea et conturbátus sum: quóniam declinavérunt in me iniquitátes, et in ira molésti erant mihi. * Cor meum conturbátum est in me, et formído mortis

cécidit super me.

℣. **Pater mi, si póssibile est, tránseat a me calix iste. * Cor meum conturbátum est in me, et formído mortis cécidit super me.**

℟. v., Feria V in Cœna Domini, Brev. Congr. S. Mauri

6. ℟. Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, et ódio iníquo odérunt me. * Custódi, Dómine, ánimam meam, et érue me.

℣. **Odérunt et me et Patrem meum, ut adimpleátur sermo qui in lege eórum scriptus est; Quia ódio habuérunt me gratis. * Custódi, Dómine, ánimam meam, et érue me.**

℟. iv., Dominica Passionis, Brev. Paris.

7. ℟. Anima mea in angústiis, et spíritus ánxius clamat ad te: * Audi Dómine et miserére: quia Deus es misericors.

℣. **Dómine ante te est omne desidérium meum; et gémitus meus a te non est abscónditus. * Audi Dómine et miserére: quia Deus es misericors.**

℟. xii., De Oratione D. N. J. C., Officia Proprium Sanctorum, Brev. Mon.

8. ℟. Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * Ad defensiónem meam cónspice.

℣. **Nunc ánima mea turbáta est. Et quid dicam? Pater, salvífica me ex hac hora: * Ad defensiónem meam cónspice.**

℟. vi., Dominica Passionis, Brev. Paris.

9. ℟. Impropérium exspectávit cor meum, et misériam; et * Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

℣. Jesus venit ad discípulos suos et invénit eos dormiéntes et dicit Petro: Sic non putuístis una hora vigiláre mecum: * Sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

℟. vi., Feria V in Cœna Domini, Brev. Congr. S. Mauri


10. ℟. Deus meus es tu: * Ne discésseris a me, quóniam tribulátio próxima est; quóniam non est qui ádjuvet.

℣. Venit hora: Ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. * Ne discésseris a me, quóniam tribulátio próxima est; quóniam non est qui ádjuvet.

℟. v., Dominica Passionis, Brev. Paris.

SECUNDUM MYSTERIUM DOLOROSUM

FLAGELLATIO CRUDELIS



11. ℟. Dixérunt ímpii apud se, non recte cogitántes: Circumveniámus justum, quóniam contrárius est opéribus nostris: promíttit se sciéntiam Dei habére, Fílium Dei se nóminat, et gloriátur patrem se habére Deum: * Videámus si

sermónes illíus veri sunt: et si est vere Fílius Dei, líberet eum de mánibus nostris: morte turpíssima condemnémus eum.

℣. **Tamquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nostris tamquam ab immundítiis: et præfert novíssima justórum. * Videámus si sermónes illíus veri sunt: et si est vere Fílius Dei, líberet eum de mánibus nostris: morte turpíssima condemnémus eum.**

℟. viii., Dominica in Palmis, Brev. Rom.

12. ℟. Quærébant advérsus Jesum testimónium, ut eum morti tráderent, nec inveniébant: * Multi enim testimónium falsum dicébant; et conveniéntia testimónia non erant.

℣. **Surgéntes testes iníqui, quæ ignorábam interrogábant me. * Multi enim testimónium falsum dicébant; et conveniéntia testimónia non erant.**

℟. i., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

13. ℟. Princeps Sacerdótum ait: Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Fílius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixísti. At illi dixérunt: * Reus est mortis.

℣. **Locúti sunt sacerdótes: Judícium mortis est viro huic, quia prophetávit sicut audístis áuribus vestris. * Reus est mortis.**

℟. ii., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

14. ℟. Expuérunt in fáciem Jesu, * Et cólaphis cecidérunt, dicéntes: Prophetíza nobis, Christe, quis est qui te per-

cússit?

℣. Aperuérunt super me ora sua, et exprobrántes percussérunt maxíllam meam, * Et cólaphis cecidérunt, dicéntes: Prophetíza nobis, Christe, quis est qui te percússit?

℟. iii., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

15. ℟. Fílius hóminis tradétur Princípibus sacerdótum, et damnábunt eum morte, et tradent eum géntibus: * Illúdent ei, et cónspuent eum, et flagellábunt eum, et interfícient eum.

℣. Sicut ovis ad occisiónem ducétur, et non apériet os suum. * Illúdent ei, et cónspuent eum, et flagellábunt eum, et interfícient eum.

℟. iii., Dominica Passionis, Brev. Paris.

16. ℟. Ego edúxi te de Ægýpto, demérso Pharaóne in mare Rubrum, et ante te præívi in colúmna nubis: * Et tu me tradidísti Princípibus sacerdótum, et me duxísti ad Prætórium Piláti.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. * Et tu me tradidísti Princípibus sacerdótum, et me duxísti ad Prætórium Piláti.

℟. ii., Officium votivum de Passione D. N. J. C., Brev. Mon.

17. ℟. Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco: * Retrórsum non ábii; corpus meum dedi percutiéntibus.

℣. Baptísmo hábeo baptizári; et quómodo coárctor usque dum perficiátur? * Retrórsum non ábii; corpus meum dedi percutiéntibus.

℟. ii., In Festo quinque Plagarum Christi, Brev. Paris.

18. ℟. In conspéctu tuo, Dómine, sunt omnes qui tríbulant me: * Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt, et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

℣. Christus non sibi plácuit, sed, sicut scriptum est, ait: Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me: * Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit; quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt, et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

℟. i., In Festo quinque Plagarum Christi, Brev. Paris.

19. ℟. Ego propter te flagellávi Ægýptum cum primogénitis suis; * Et tu me flagellátum tradidísti, qui tamquam Agnus, coram tondénte se, obmútui, et non apérui os meum.

℣. Pópule meus, quid feci tibi, aut in quo contristávi te? respónde mihi. * Et tu me flagellátum tradidísti, qui tamquam Agnus, coram tondénte se, obmútui, et non apérui os meum.


℟. iii., Officium votivum de Passione D. N. J. C., Brev. Mon.

20. ℟. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: * Ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

℣. Hunc propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus: * Ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

℟. viii., Dominica Passionis, Brev. Congr. S. Mauri

TERTIUM MYSTERIUM DOLOROSUM
CORONATIO ACERBISSIMA SPINARUM



21. ℟. Regnum meum non est de hoc mundo: * Si ex hoc mundo esset regnum meum, minístri mei decertárent útique, ut non tráderer Judǽis; nunc autem regnum meum non est hinc.

℣. Salvábo eos in Dómino Deo suo, et

non salvábo eos in arcu, et gládio, et in bello. * Si ex hoc mundo esset regnum meum, minístri mei decertárent útique, ut non tráderer Judǽis; nunc autem regnum meum non est hinc.

℟. i., In Festo Susceptionis S. Coronæ Spineæ, Brev. Paris.

22. ℟. Tu dicis quia rex sum ego: * Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti; omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam.

℣. Ego constitútus sum rex a Deo super Sion montem sanctum ejus, prǽdicans præcéptum ejus: * Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti; omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam.

℟. ii., In Festo Susceptionis S. Coronæ Spineæ, Brev. Paris.

23. ℟. Exívit Pilátus ad Judǽos, et ait: Nihil invénio causæ in hoc hómine; * Et cum accusarétur a princípibus sacerdótum et senióribus in multis, nihil respóndit.

℣. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit os suum; * Et cum accusarétur a princípibus sacerdótum et senióribus in multis, nihil respóndit.

℟. iii., In Festo Susceptionis S. Coronæ Spineæ, Brev. Paris.

24. ℟. Mílites plecténtes corónam de spinis, Jesu cápiti imposuérunt, * Illúdque arúndine percussérunt.

℣. Tum flexo póplite salutárunt eum illudéntes et dicéntes: Ave, rex Judæórum. * Illúdque arúndine percussérunt.

℟. vii., Susceptionis S. Spinæ e Corona Christi Domini, Officia

propria diœcesis Aniciensis, Brev. Rom.

25. ℟. Addúxit Pilátus foras Jesum, et sedit pro tribunáli, et dixit eis: * Ecce Rex vester.

℣. Egredímini et vidéte regem in diadémate, quo coronávit illum mater sua. * Ecce Rex vester.

℟. vii., In Festo Susceptionis S. Coronæ Spineæ, Brev. Paris.

26. ℟. Egredímini, fíliæ Jerúsalem, et vidéte vérticem regis, * Et fratris vestri coróna scírpea aculeáta amáre cruentátum.

℣. Plángite, et flete super vos, et super fílios vestros. * Et fratris vestri coróna scírpea aculeáta amáre cruentátum.

℟. iii., Ss. Coronæ Spineæ D. N. J. C., Proprium Sanctorum Mexicanorum, Brev. Rom.

27. ℟. Spina carens flos, spina púngitur, per quam culpæ spina confríngitur: * Spina mortis spinis retúnditur, dum vita móritur, allelúja.

℣. Per hoc ludíbrium hostis delúditur: mortis domínium per mortem tóllitur. * Spina mortis spinis retúnditur, dum vita móritur, allelúja.

℟. i., In Festo Coronæ Domini, Brev. O. Præd.

28. ℟. Vestítus erat veste aspérsa sánguine, et vocátur nomen ejus Verbum Dei: * Et habet in vestiménto et in fémore suo scriptum: Rex regum, et Dóminus dominántium.

℣. In cápite ejus diadémata multa. * Et habet in vestiménto et in fémore suo scriptum: Rex regum, et Dóminus dominántium.

℟. vii., Susceptio S. Coronæ Spineæ, Officia propria ad usum Ecclesiæ Nanceiensis, Brev. Rom.

29. ℟. Appáruit Móysi Dóminus de medio rubi, et dixit Móyses: * Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam.

℣. O stupéndum magis miráculum! Christus cíngitur rubi acúleis et púngitur! * Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam.


℟. ii., Susceptio S. Coronæ Spineæ, Officia propria ad usum Ecclesiæ Nanceiensis, Brev. Rom.

30. ℟. Levávit Abraham óculos suos: vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem: * Víctimam holocáusti.

℣. Adumbrábat áries, qui tenebátur in vepres, Christum Jesum spinis coronátum. * Víctimam holocáusti.

℟. i., Susceptio S. Coronæ Spineæ, Officia propria ad usum Ecclesiæ Nanceiensis, Brev. Rom.

QUARTUM MYSTERIUM DOLOROSUM
BAJULATIO CRUCIS AD CALVARIUM MONTEM



31. ℟. Quem vultis dimíttam vobis: Barábbam; an Jesum? Dixerunt: Barábbam. Quid ígitur fáciam de Jesu? Dicunt omnes: * Crucifigátur.

℣. Dixérunt: Rogámus ut occidátur homo iste; síquidem non quærit pacem

pópulo, sed malum. * Crucifigátur.

℟. v., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

32. ℟. Suscepérunt Jesum, et eduxérunt. * Et bájulans sibi crucem exívit Jesus in eum qui dícitur Calváriæ locum.

℣. Tulit Abraham ligna holocáusti, et impósuit super Isaac fílium suum: * Et bájulans sibi crucem exívit Jesus in eum qui dícitur Calváriæ locum.

℟. vii., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

33. ℟. Adéste, fíliæ Sion, vidéte Regem vestrum spíneam gestántem corónam, * Et cruce onústum.

℣. Quid tibi fecit, pópule nequam, ille qui gestat spíneam corónam? * Et cruce onústum.

℟. viii., Susceptionis S. Spinæ e Corona Christi Domini, Officia pr. diœcesis Aniciensis, Brev. Rom.

34. ℟. Quórum animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta, horum córpora cremántur extra castra. * Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.

℣. Præcépit Móysi Dóminus dicens: Quorum sanguis illátus est in sanctuárium ut expiátio complerétur, adsportábunt foras castra, et combúrent igni: * Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes.

℟. ix., Feria VI in Parasceve, Brev. Congr. S. Mauri

35. ℟. Aspiciámus in autórem fídei, et consummatórem Jesum, * Qui propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémpta.

℣. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum; * Qui propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémpta.

℟. ad I Vesp., In Festo quinque Plagarum Christi, Brev. Paris.

36. ℟. Christo bajulánte crucem mulíeres sequebántur flentes, ad quas convérsus ait: * Nolíte flere super me; sed flete super vos, et super fílios vestros.

℣. Beátæ stériles, quæ non lactavérunt * Nolíte flere super me; sed flete super vos, et super fílios vestros.

℟. viii., Septem Dolorum B. M. V., Brev. O. Præd.

37. ℟. Dedúcant óculi mei lácrymam per noctem et diem, et non táceant; * Quóniam contritióne magna contríta est virgo fília pópuli mei, plaga péssima veheménter.

℣. Si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? * Quóniam contritióne magna contríta est virgo fília pópuli mei, plaga péssima veheménter.

℟. iii., In Compassione Beatæ Mariæ, Brev. Paris.

38. ℟. Sequebátur Jesum turba mulíerum quæ plangébant, et lamentabántur eum. Et postquam venérunt in locum Calváriæ, crucifixérunt eum. * Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.

℣. **Sedérunt in terra, conspersérunt cínere cápita sua, abjecérunt in terram cápita sua vírgines Jerúsalem. * Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.**

℟. v., In Compassione Beatæ Mariæ, Brev. Paris.

39. ℟. Dóleo super te, fili mi Jesu, decórus nimis, et amábilis super amórem mulíerum! * Sicut enim mater únicum díligit fílium, ita ego te diligébam.

℣. **Defécit in dolóre vita mea, et anni mei in gemítibus. * Sicut enim mater únicum díligit fílium, ita ego te diligébam.**


℟. vii., Septem Dolorum B. M. V., Brev. Rom.

40. ℟. Quis æstimáre potest quanta tristítia, mœróre et dolóre vulnerátum fúerit cor matérnum, super únici Fílii passióne? * Quæ tam caste concépit, tam lætánter péperit, tam dúlciter áluit.

℣. **Vidit eum ligátum, et sólvere non pótuit: vidit corpus vulnerátum, et vúlnera ligáre non pótuit. * Quæ tam caste concépit, tam lætánter péperit, tam dúlciter áluit.**

℟. vii., Officium B. M. V. in Sabbato, a Septuagesima usque ad Pascha, Brev. O. Carm.

QUINTUM MYSTERIUM DOLOROSUM
CRUCIFIXIO ET MORS IN LIGNO CRUCIS



41. ℟. Crucifixérunt Jesum, et latrónes, unum a dextris, et álterum a sinístris. Jesus autem dicébat: * Pater, dimítte illis; non enim sciunt quid fáciunt.
℣. Cum scelerátis reputátus est et ipse peccáta multórum tulit, et pro trans-

gressóribus rogávit. * Pater, dimítte illis; non enim sciunt quid fáciunt.

℟. viii., Feria VI in Parasceve, Brev. Paris.

42. ℟. Cum Jesu crucifígunt duos latrónes; unus autem blasphemábat eum, et dicébat alter: Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum; et dixit illi Jesus: * Amen dico tibi, Hódie mecum eris in paradíso.

℣. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes sperántes in Dómino. * Amen dico tibi, Hódie mecum eris in paradíso.

℟. viii., In Susceptione S. Coronæ Spineæ, Brev. Paris.

43. ℟. Abjécto subter unam árborem fílio, ábiit Agar, sedítque e regióne procul, et dixit: Non vidébo moriéntem púerum, * Levavítque vocem suam, et flevit.

℣. Stabat autem juxta Crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdalénæ. * Levavítque vocem suam, et flevit.

℟. i., Septem Dolorum B. M. V., Brev. O. Præd.

44. ℟. Vidit Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat; * Et dicit Jesus Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus.

℣. Supra modum Mater mirábilis, bono ánimo ferébat, propter spem quam in Deum habébat, feminæ cogitatióni masculínum ánimum ínferens; * Et dicit Jesus Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus.

℟. vi., In Compassione beatæ Mariæ, Brev. Paris.

45. ℟. Fóderis, O dulcis Jesu, diris clavis extra: sed aspérius intra, ex compassióne Vírginis Matris, tecum ómnia participántis. * O mirábilis censúræ condítio! Peccávit iníquus, et vápulat justus.

℣. Delínquit homo reus, et occíditur pro eo homo Deus. * O mirábilis censúræ condítio! peccávit iníquus, et vápulat justus.

℟. viii., Officium B. M. V. in Sabbato, a Septuagesima usque ad Pascha, Brev. O. Carm.

46. ℟. Ténebræ factæ sunt, dum crucifixíssent Jesum Judǽi, et circa horam nonam exclamávit Jesus voce magna: Deus meus, ut quid dereliquísti me? * Et inclináto cápite, emísit spíritum.

℣. Quis tibi nunc sensus, dum cernis tália, Virgo? * Et inclináto cápite, emísit spíritum.

℟. iv., Septem Dolorum B. M. V., Brev. Rom.

47. ℟. Velum templi scissum est, terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monuménta apérta sunt, * Et multa córpora sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt.

℣. In sánguine testaménti tui emisísti vinctos tuos de lacu. * Et multa córpora sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt.

℟. vi., Sabbato sancto, Brev. Congr. S. Mauri

48. ℟. Aspícient ad me quem confixérunt me; et * Plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.

℣. **Centúrio, et qui cum eo erant, timuérunt valde, dicéntes: Vere Fílius Dei erat iste. Et percutiéntes péctora sua revertebántur. * Plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut in morte primogéniti.**

℟. i., Sabbato sancto, Brev. Paris.

49. ℟. Ecce vox sánguinis Fílii tui, Fratris nostri, de terra clamat ad te, Dómine: * Benedícta terra, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem Redemptóris.

℣. **Hæc est sánguinis aspérsio mélius loquens quam Abel. * Benedícta terra, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem Redemptóris.**

℟. xii., In Festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Brev. Cist.

50. ℟. O dulcíssime Jesu, O benigníssima María Virgo, quid commisístis, quod tantis cruciátibus, tot et tantis afflictiónibus addícti estis? * Nos sumus qui peccávimus, qui injúste égimus, et tu innocentíssima Virgo, cum único Nato pro nobis dolétis et affligímini.

℣. **O peccátor, vide quómodo patiúntur et flent pro te Jesus et María. * Nos sumus qui peccávimus, qui injúste égimus, et tu innocentíssima Virgo, cum único Nato pro nobis dolétis et affligímini.**

℟. ix., Officium B. M. V. in Sabbato, a Septuagesima usque ad Pascha, Brev. O. Carm.

SABBATO



PRIMUM MYSTERIUM GAUDIOSUM

ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS



1. ℟. Audíte, domus David: Ecce virgo concípiet et páriet fílium; et * Vocábitur nomen ejus Emmánuel.

℣. Habitábit cum homínibus: et ipsi pópulus ejus erunt; et ipse Deus cum eis erit eórum Deus: * Vocábitur nomen

ejus Emmánuel.

℟. ad I Vesp., In Annuntiatione Domini, Brev. Paris.

2. ℟. Cum orárem, et prostérnerem preces meas in conspéctu Dei mei, adhuc me loquénte in oratióne: * Ecce vir Gábriel cito volans locútus est mihi:

℣. Ave grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus. * Ecce vir Gábriel cito volans locútus est mihi.

℟. iv., In Annuntiatione et Incarnatione Domini, Brev. Eccl. Rotom.

3. ℟. Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum, * Ecce concípies in útero, et páries Fílium.

℣. Hoc a Dómino Deo exívit, ut mirábile fáceret consílium. * Ecce concípies in útero, et páries Fílium.

℟. ii., In Annuntiatione Domini, Brev. Paris.

4. ℟. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David Patris ejus; * Et regni ejus non erit finis.

℣. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen justum: et regnábit Rex. * Et regni ejus non erit finis.

℟. ii., In Annuntiatione Domini, Brev. Paris.

5. ℟. Ipsi soli sum sponsáta, cui Angeli sérviunt, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur. * Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotióne comméndo.

℣. Cognitiónem incógnitam quǽritans cognóscere, Virgo clamávit ad Angelum: Ex lumbis castis quómodo possíbile est Fílium nasci? * Ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotióne commén-

do.

Aña ad Mat., In Festo Annunciationis Sanctæ Mariæ Virginis, Brev. Goth. (immutata)

6. ℟. Plácuit Deo cástitas et immaculáta virgínitas; * Propter hoc in útero ejus ingréssa est sancta píetas: de Verbo partum osténdit admirábilem genuísse Vírginem Deum et hóminem.

℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. * Propter hoc in útero ejus ingréssa est sancta píetas: de Verbo partum osténdit admirábilem genuísse Vírginem Deum et hóminem.

℟. ad Mat., In Festo Annunciationis Sanctæ Mariæ Virginis, Brev. Goth. (immutata)

7. ℟. Dixit María ad Angelum: Ecce ancílla Dómini, * Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℣. Adorávit prona in terram, et ait: Ecce fámula tua sit in ancíllam. * Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℟. ix., In Annuntiatione et Incarnatione Domini, Brev. Eccl. Rotom.

8. ℟. Magnum miráculum vídimus in Vírginis conceptióne, ut nec virginitátem amítteret, nec genitrícum póndera didicísset. * Sola méruit Deum ferre post cœlos: sola méruit Virgo veníre post partum.

℣. Salve, María Virgo, Dei incomprehensíbilis locus; salve, vehículum sanctum ejus, qui sedet super Chérubim; salve, nobilíssimum habitáculum ejus, qui est super Séraphim. * Sola méruit

Deum ferre post cœlos: sola méruit Virgo veníre post partum.

Aña ad Mat., In Festo Annunciationis Sanctæ Mariæ Virginis, Brev. Goth. (immutata)

9. ℟. Exultáte in lætítia, Jacob: personáte, et cánite, quia creávit Dóminus novum super terram: * Fémina circúmdabit Virum.

℣. Sacraméntum abscónditum a sǽculis in Deo qui ómnia creávit: * Fémina circúmdabit Virum.

℟. iv., In Nativitate B. Mariæ V., Brev. Paris.


10. ℟. Suscépit Deus Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ: * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini ejus in sǽcula.

℣. In me ancílla sua adimplévit Dóminus misericórdiam suam; * Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini ejus in sǽcula.

℟. viii., In Annuntiatione Domini, Brev. Paris.

SECUNDUM MYSTERIUM GAUDIOSUM

VISITATIO BEATÆ VIRGINIS MARIÆ AD SANCTAM ELISABETH



11. ℟. Exúrgens María ábiit in montána * Cum festinatióne in civitátem Juda.

℣. En Diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, * Cum fest-

inatióne in civitátem Juda.

℟. iv., In Visitatione B. Mariæ Virginis, Brev. Paris.

12. ℟. Ecce diléctus meus venit, sáliens in móntibus, transíliens colles: * En ipse stat post paríetem nostrum.

℣. Spíritus dicit, Veni; et qui audit, dicat, Veni. * En ipse stat post paríetem nostrum.

℟. ad I Vesp., In Visitatione B. M. V., Brev. Paris.

13. ℟. Intrávit María in domum Zacharíæ, et salutávit Elízabeth; * Et exultávit infans in útero ejus.

℣. Factum est verbum tuum, Dómine, in gáudium et lætítiam cordis. * Et exultávit infans in útero ejus.

℟. v., In Visitatione B. Mariæ Virginis, Brev. Paris.

14. ℟. Ut audívit salutatiónem Maríæ Elízabeth, exultávit infans in útero ejus, * Et repléta est Spíritu sancto Elízabeth.

℣. Benedíxit Dóminus dómui ejus, et ómnibus quæ habébat: * Et repléta est Spíritu sancto Elízabeth.

℟. vi., In Visitatione B. Mariæ Virginis, Brev. Paris.

15. ℟. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram: * Benedíctus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

℣. Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. * Benedíctus Dóminus, quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

℟. viii., In Annuntiatione B. Mariæ V., Brev. Paris.

16. ℟. Exclamávit Elízabeth voce magna, et dixit: * Et unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me?

℣. Quid est homo, Dómine, quod memor es ejus? aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? * Et unde hoc mihi ut véniat Mater Dómini mei ad me?

℟. vii., In Visitatione B. Mariæ V., Brev. Paris.

17. ℟. Beáta quæ credidísti, * Perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

℣. Non est Deus, quasi homo, ut mentiátur: dixit ergo, et non fáciet? Locútus est, et non implébit? * Perficiéntur ea quæ dicta sunt tibi a Dómino.

℟. viii., In Visitatione B. Mariæ V., Brev. Paris.

18. ℟. Ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℣. Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen ejus in idípsum. * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

℟. vi., In Visitatione B. M. V., Brev. Congr. S. Mauri

19. ℟. Fecit Dóminus poténtiam in bráchio suo; * Dispérsit supérbos mente cordis sui: depósuit poténtes de sede, et exaltávit húmiles, allelúja.

℣. Sumpsit María týmpanum in manu sua, dicens: * Dispérsit supérbos mente cordis sui: depósuit poténtes de sede, et exaltávit húmiles, allelúja.

℟. iii., Officium B. M. V. in Sabbato, mense Maio, Brev. Eccl. Rotom.

20. ℟. Mansit arca Dei in domo Obéd-


edom tribus ménsibus; * Et benedíxit Dóminus dómui ejus, et ómnibus quæ habébat.

℣. Mansit María cum Elízabeth quasi ménsibus tribus; * Et benedíxit Dóminus dómui ejus, et ómnibus quæ habébat.

℟. viii., In Visitatione beatæ Mariæ Virginis, Brev. Congr. S. Mauri

TERTIUM MYSTERIUM GAUDIOSUM

NATIVITAS SALVATORIS NOSTRI



21. ℟. Ascéndit Joseph a Galilǽa in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre prægnánte. * Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret.

℣. **Ex te, Béthlehem, egrediétur, qui sit dominátor in Israël. * Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret.**

℟. i., In Nativitate Domini, Brev. Eccl. Rotom.

22. ℟. **Péperit María Fílium suum primogénitum, et pannis eum invólvit, * Et reclinávit eum in præsépio, allelúja.**

℣. **Conquiévit et síluit omnis terra: gavísa est Virgo, et exsultávit. * Et reclinávit eum in præsépio, allelúja.**

℟. iv., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

23. ℟. **Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.**

℣. **Cum nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens sermo tuus, Dómine, de cœlo a regálibus sédibus prosilívit: * Et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.**

℟. ix., In Natali Domini, Brev. Paris.

24. ℟. **Contremuérunt ómnia membra mea, dum nunciarétur mihi partus: et ingrediénte in me Spíritu Dei, reflóruit caro mea; * Quia germinávi germen justítiæ, Salvatórem mundi.**

℣. **Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes; * Quia germinávi germen justítiæ, Salvatórem mundi.**

℟. v., In Nativitate Domini, Brev. Amb.

25. ℟. **Gaudéte, et laudáte simul, quia consolátus est Dóminus pópulum suum: * Parávit bráchium sanctum suum**

in óculis ómnium géntium.

℣. **Misit Deus Fílium suum in mundum, ut salvétur mundus per ipsum: * Parávit bráchium sanctum suum in óculis ómnium géntium.**

℟. ii., In Natali Domini, Brev. Paris.

26. ℟. Ego sum, ego sum quæ Dómino canam: * Cessavérunt fortes in Israël, et quievérunt, donec súrgeret Mater in Israël.

℣. **Ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege; ut eos qui sub lege erant redímeret. * Cessavérunt fortes in Israël, et quievérunt, donec súrgeret Mater in Israël.**

℟. vi., In Nativitate B. M. V., Brev. Paris.

27. ℟. Congratulámini mihi omnes, qui dilígitis Dóminum: * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.

℣. **Beátam me dicent omnes generatiónes: quia ancíllam húmilem respéxit Deus. * Quia cum essem párvula, plácui Altíssimo: et de meis viscéribus génui Deum et hóminem.**

℟. v., In Circumcisione Domini, Brev. O. Carm.

28. ℟. Natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David: et hoc vobis signum: * Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio.

℣. **Nolíte metúere, quia Dóminus Deus vester in médio vestri est, ut éruat vos:**

*** Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio.**

℟. ii., In Natali Domini, Brev. Congr. S. Mauri

29. ℟. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

℣. Egréssus es in salútem pópuli tui, Dómine, in salútem cum Christo tuo; * Ut omnis qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.


℟. iv. In Natali Domini, Brev. Paris.

30. ℟. Tu Rex glóriæ, Christe, tu Patris sempitérnus es Fílius: * Tu ad liberándum hóminem non horruísti Vírginis úterum.

℣. Tibi omnes Angeli, tibi et Archángeli, tibi cœli et univérsæ Potestátes, hymnum canéntes dicunt: * Tu ad liberándum hóminem non horruísti Vírginis úterum.

℟. viii., In die Nativitatis Domini, Brev. Amb.

QUARTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
OBLATIO CHRISTI IN TEMPLO



31. ℟. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: * Sanctífica mihi omne primogénitum in fíliis Israël.

℣. Tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: * Sanctífica mihi

omne primogénitum in fíliis Israël.

℟. i., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

32. ℟. Majéstas Dómini ingréssa est templum per viam portæ quæ respiciébat ad oriéntem; * Et ecce repléta erat glória Dómini domus.

℣. Induxérunt púerum Jesum in templum paréntes ejus; * Et ecce repléta erat glória Dómini domus.

℟. iii., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

33. ℟. Statim véniet ad templum suum Dominátor: * Ipse quasi ignis conflans, purgábit fílios Levi; et erunt offeréntes sacrifícia in justítia: et placébit Dómino sacrifícium.

℣. Lex constítuit sacerdótes infirmitáte habéntes; sermo autem, qui post legem est, Fílium in ætérnum perféctum: * Ipse quasi ignis conflans, purgábit fílios Levi; et erunt offeréntes sacrifícia in justítia: et placébit Dómino sacrifícium.

℟. ii., Dominica I Adventus, Brev. Paris.

34. ℟. Homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon: * Et iste justus et timorátus respónsum accéperat a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

℣. Véniet, et non tardábit; justus autem in fide sua vivet. * Et iste justus et timorátus respónsum accéperat a Spíritu sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini.

℟. vii., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

35. ℟. Cum indúcerent púerum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secún-

dum consuetúdinem legis pro eo, Símeon * Accépit eum in ulnas suas.

℣. Desidérium cordis ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. * Accépit eum in ulnas suas.

℟. viii., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

36. ℟. Benedíxit Deum Símeon, et dixit: * Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℣. Expéctans expectávi Dóminum, et inténdit mihi; et exaudívit preces meas, et immísit in os meum cánticum novum: * Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace; quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℟. ix., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

37. ℟. Erat pater Jesu et mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. * Et benedíxit illis Símeon.

℣. Miráti sunt in illo, et honoravérunt Deum. * Et benedíxit illis Símeon.

℟. vii., Dom. infra Oct. Natalis Domini, Brev. Paris.

38. ℟. Scriptum est: Ecce pono in Sion lápidem offensiónis, et petram scándali; * Et omnis qui credit in eum, non confundétur.

℣. Dixit Símeon ad Maríam Matrem Jesu: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum; * Et omnis qui credit in eum, non confundétur.

℟. viii., In Præsentatione Domini, Brev. Congr. S. Mauri

39. ℟. Ingrédiens mundum dicit: Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus au-

tem parásti mihi: in cápite libri scríptum est de me ut fácerem voluntátem tuam; * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

℣. Descéndi de cœlo, non ut fáciam voluntátem meam; sed voluntátem ejus qui misit me. * Deus meus vólui, et legem tuam in médio cordis mei.


℟. viii., In Circumcisione Domini, Brev. Congr. S. Mauri

40. ℟. Hóstiæ non possunt perféctum fácere serviéntem, solúmmodo in justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis: nunc autem * Ad destitutiónem peccáti per hóstiam suam Christus appáruit.

℣. Quo mihi multitúdinem victimárum, dicit Dóminus? plenus sum; ne offerátis ultra sacrifícium frustra: * Ad destitutiónem peccáti per hóstiam suam Christus appáruit.

℟. iv., In Præsentatione Domini, Brev. Paris.

QUINTUM MYSTERIUM GAUDIOSUM
INVENTIO PUERI JESU INTER DOCTORES



41. ℟. Surgam, et quæram quem díligit ánima mea: * Donec aspíret dies, vadam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

℣. Dicit mihi, Tempus prope est: Etíam vénio cito. * Donec aspíret dies, va-

dam ad montem myrrhæ, et ad collem thuris.

℟. ii., In Præsentatione B. Mariæ V., Brev. Paris.

42. ℟. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. * Qualis est diléctus tuus, O pulchérrima mulíerum?

℣. Diléctus meus cándidus et rubicúndus, eléctus ex míllibus. Talis est diléctus meus, ipse est amícus meus fíliæ Jerúsalem. * Qualis est diléctus tuus, O pulchérrima mulíerum?

℟. iii., Puritatis B. Mariæ Virginis, Brev. O. Carm.

43. ℟. Quis mihi det, ut cognóscam, et invéniam illum, * Et véniam usque ad sólium ejus.

℣. Invenítur ab his, qui non tentant eum, appáret autem eis, qui fidem habent in illum. * Et véniam usque ad sólium ejus.

℟. iii., Inventionis Pueri Jesu in templo, Suppl. pro Sanctimonialibus O. S. B. Adorationis Perpetuæ SS. Sacramenti, Brev. Mon.

44. ℟. Requiréntes Jesum paréntes ejus: * Post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos, allelúja.

℣. Hanc enim diem, Deus omnípotens, mœróris et luctus eis vertit in gáudium. * Post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio Doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos, allelúja.

℟. vi., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

45. ℟. Congratulámini mihi omnes

qui dilígitis Dóminum, quia quem quærébam, appáruit mihi: * Et dum flerem, vidi Dóminum.

℣. Amóris ígitur igne succénsa, ardébam desidério. * Et dum flerem, vidi Dóminum.

℟. x., Inventionis Pueri Jesu in templo, Suppl. pro Sanctimonialibus O. S. B. Adorationis Perpetuæ SS. Sacramenti, Brev. Mon.

46. ℟. Invéni quem díligit ánima mea: Fascículus myrrhæ diléctus meus, inter úbera mea commorábitur: * Ténui eum, nec dimíttam.

℣. Ego autem exultábo, et gaudébo in Deo Jesu meo. * Ténui eum, nec dimíttam.

℟. vi., S. Catharinæ de Ricciis, Brev. O. Præd.

47. ℟. Símile est regnum cœlórum hómini negotiatóri quærénti bonas margarítas: * Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam.

℣. Margaríta pretiósa est diléctio, pro qua si homo déderit omnem substántiam domus suæ, quasi nihil despíciet eam. * Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit et véndidit ómnia quæ hábuit, et emit eam.

℟. vi., Inventionis Pueri Jesu in templo, Suppl. pro Sanctimonialibus O. S. B. Adorationis Perpetuæ SS. Sacramenti, Brev. Mon.

48. ℟. Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. * Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

℣. Dixit mihi Dóminus: Servus meus

es tu; et ego dixi: Ergo opus meum cum Deo meo. * Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

℟. viii., Dom. infra Oct. Epiphaniæ, Brev. Paris.

49. ℟. Descéndit Jesus cum eis, et venit Názareth: * Et erat súbditus illis.

℣. Proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines. * Et erat súbditus illis.


℟. viii., Commemoratio solemnis S. Joseph Sponsi B. M. V., Brev. O. Præm.

50. ℟. Valde honorándus est et laudábilis nimis beátus Joseph, * Quem constítuit Dóminus magni consílii coadjutórem fidíssimum.


℣. Fidélis servus et prudens, Vírginis Matris sponsus, et Fílii Dei nutrítius. * Quem constítuit Dóminus magni consílii coadjutórem fidíssimum.

℟. ix., S. Joseph Sponsi B. M. V. Confessoris et Protectoris Ordinis Nostri, Brev. O. Carm.

DOMINICA



PRIMUM MYSTERIUM GLORIOSUM
RESURRECTIO CHRISTI A MORTUIS



1. ℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúja: * Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúja.

℣. Læténtur cœli, et exsúltet terra ante fáciem Dómini. * Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúja.

℟. i., Feria III infra Hebd. Paschæ, Brev. O. Præd.

2. ℟. Gaude et lætáre, Virgo María, allelúja: * Quia surréxit Dóminus vere, allelúja.

℣. Exue te stola luctus et vexatiónis tuæ: et índue te decóre et honóre ejus, quæ a Deo tibi est, sempitérnæ glóriæ. * Quia surréxit Dóminus vere, allelúja.

℟. vii., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

3. ℟. Cum transísset sábbatum, María Magdaléne, et María Jacóbi, et Salóme emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Jesum, allelúja, allelúja.

℣. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. * Ut veniéntes úngerent Jesum, allelúja, allelúja.

℟. ii., Dominica Resurrectionis, Brev. Rom.

4. ℟. Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quǽritis? An Jesum quǽritis? jam surréxit: * Veníte, et vidéte, allelúja, allelúja.

℣. Jesum quǽritis Nazarénum crucifíxum? surréxit, non est hic. * Veníte, et vidéte, allelúja, allelúja.

℟. ii., In Die Sancto Paschæ, Brev. O. Præd.

5. ℟. Tulérunt Dóminum meum: et néscio ubi posuérunt eum. Dicit ei Angelus: Noli flere María: * Surréxit sicut dixit: præcédet vos in Galilǽam: ibi eum vidébitis, allelúja, allelúja.

℣. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis sedéntes, qui dicunt ei. * Surréxit sicut dixit: præcédet vos in Galilǽam: ibi eum vidébitis, allelúja,

allelúja.

℟. ii., Feria III infra Hebd. Paschæ, Brev. O. Præd.

6. ℟. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum, quia quem quærébam, appáruit mihi: * Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum, allelúja, allelúja.

℣. Recedéntibus discípulis, non recedébam, et amóris ejus igne succénsa, ardébam desidério. * Et dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum, allelúja, allelúja.

℟. ii., Feria V infra Octavam Paschæ, Brev. Rom.

7. ℟. Surgens Jesus Dóminus noster, stans in médio discipulórum suórum, dixit: * Pax vobis, allelúja: gavísi sunt discípuli viso Dómino, allelúja.

℣. Una ergo sabbatórum, cum fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, venit Jesus, et stetit in médio eórum, et dixit eis: * Pax vobis, allelúja: gavísi sunt discípuli viso Dómino, allelúja.

℟. i., Feria VI infra Octavam Paschæ, Brev. Rom.

8. R. Surréxit Pastor bonus, qui póuit ánimam suam pro óvibus suis, * Et pro suo grege mori dignátus est, allelúja, allelúja.

℣. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. * Et pro suo grege mori dignátus est, allelúja, allelúja.

℟. iii., Feria IV infra Hebd. Paschæ, Brev. O. Præd.

9. ℟. Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperíre librum, et sólvere septem signácula ejus: * Allelúja, allelúja, allelúja.

℣. **Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem. * Allelúja, allelúja, allelúja.**

℟. i., Feria IV infra Octavam Paschæ, Brev. Rom.

10. ℟. Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: * Quod enim vivit, vivit Deo, allelúja, allelúja.

℣. **Dicant nunc Judǽi quómodo mílites custodiéntes sepúlchrum perdidérunt Regem ad lápidis positiónem. Quare non servábant Petram justítiæ? Aut sepúltum reddant, aut resurgéntem adórent, nobíscum dicéntes. * Quod enim vivit, vivit Deo, allelúja, allelúja.**

℟. ad Vesp., In Die Sancto Paschæ, Brev. O. Præd.

SECUNDUM MYSTERIUM GLORIOSUM

ASCENSIO CHRISTI IN CŒLUM



11. ℟. Tempus est, ut revértar ad e-um, qui me misit, dicit Dóminus: nolíte contristári, nec turbétur cor vestrum: * Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos cus-tódiat, allelúja, allelúja.

℣. Nisi ego abíero, Paráclitus non vén-

iet: cum assúmptus fúero, mittam vobis eum. * Rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custódiat, allelúja, allelúja.

℟. iv., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

12. ℟. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem; et cum assúmptus fúero a vobis, mittam vobis, allelúja, * Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum, allelúja.

℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. * Spíritum veritátis, et gaudébit cor vestrum, allelúja.

℟. v., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

13. ℟. Pater, cum essem cum eis, ego servábam eos, quos dedísti mihi, nunc autem ad te vénio: * Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, allelúja.

℣. Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dedísti mihi: * Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, allelúja.

℟. xii., In Ascensione Domini, Brev. Cist.

14. ℟. Ite in orbem univérsum, et prædicáte Evangélium, allelúja. * Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, allelúja, allelúja, allelúja.

℣. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient, linguis loquéntur novis, et serpéntes tollent. * Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, allelúja, allelúja, allelúja.

℟. ix., In Ascensione Domini, Brev. O. Præm.

15. ℟. Post passiónem suam per dies quadragínta appárens eis, et loquens de

regno Dei, allelúja: * Et, vidéntibus illis, elevátus est, allelúja: et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúja.

℣. Et convéscens, præcépit eis ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris. * Et, vidéntibus illis, elevátus est, allelúja: et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúja.

℟. i., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

16. ℟. Ascéndens Christus in altum, captívam duxit captivitátem, * Dedit dona homínibus, allelúja, allelúja, allelúja.

℣. Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. * Dedit dona homínibus, allelúja, allelúja, allelúja.

℟. vi., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

17. ℟. Exaltáre, Dómine, allelúja, * In virtúte tua, allelúja.

℣. Eleváta est magnificéntia tua super cœlos Deus. * In virtúte tua, allelúja.

℟. iii., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

18. ℟. Ponis nubem ascénsum tuum, Dómine: * Qui ámbulas super pennas ventórum, allelúja.

℣. Confessiónem et decórem induísti, amíctus lumen sicut vestiméntum. * Qui ámbulas super pennas ventórum, allelúja.

℟. viii., In Ascensione Domini, Brev. Rom.

19. ℟. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: * Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet, allelúja.

℣. A summo cœlo egréssio ejus, et oc-

cúrsus ejus usque ad summum ejus. * Spécies ejus in núbibus cœli, et nomen ejus in ætérnum pérmanet, allelúja.

℟. ii., In Ascensione Domini, Brev. Rom.


20. ℟. Viri Galilǽi quid admirámini aspiciéntes in cœlum? * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cœlum, ita véniet, allelúja, allelúja, allelúja.

℣. Cumque intueréntur in cœlum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cœlum, ita véniet, allelúja, allelúja, allelúja.

℟. iii., In Ascensione Domini, Brev. O. Præd.

TERTIUM MYSTERIUM GLORIOSUM

MISSIO SPIRITUS SANCTI AD BEATAM MARIAM VIRGINEM ET APOSTOLOS



21. ℟. In novíssimo die magno festivitátis stabat Jesus, et clamábat, dicens: Qui credit in me, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: * Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant cred-

éntes in eum, allelúja, allelúja.

℣. **Si quis sitit, véniat et bibat: et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. * Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum, allelúja, allelúja.**

℟. i., Feria IV Quatuor Temporum infra Octavam Pentecostes, Brev. O. Præm.

22. ℟. **Jam non dicam vos servos, sed amícos meos; quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in médio vestri, allelúja: * Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum: ille est, quem Pater mittet vobis, allelúja.**

℣. **Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. * Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum: ille est, quem Pater mittet vobis, allelúja.**

℟. i., Feria II infra Oct. Pentecostes, Brev. Rom.

23. ℟. **Cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco, allelúja: et súbito factus est sonus de cœlo, allelúja, * Tamquam spíritus veheméntis, et replévit totam domum, allelúja, allelúja.**

℣. **Dum ergo essent in unum discípuli congregáti propter metum Judæórum, sonus repénte de cœlo venit super eos. * Tamquam spíritus veheméntis, et replévit totam domum, allelúja, allelúja.**

℟. i., Dominica Pentecostes, Brev. Rom.

24. ℟. **Apparuérunt Apóstolis dispertítæ linguæ tamquam ignis, allelúja: * Sedítque supra síngulos eórum Spíritus Sanctus, allelúja, allelúja.**

℣. **Et cœpérunt loqui váriis linguis,**

prout Spíritus sanctus dabat éloqui illis. * Sedítque supra síngulos eórum Spíritus Sanctus, allelúja, allelúja.

℟. i., Feria III infra Oct. Pentecostes, Brev. Rom.

25. ℟. Spíritus Sanctus procédens a throno, Apostolórum péctora invisibíliter penetrávit novo sanctificatiónis signo: * Ut in ore eórum ómnium génera nasceréntur linguárum, allelúja.

℣. Advénit ignis divínus, non combúrens, sed illúminans, et tríbuit eis charísmatum dona. * Ut in ore eórum ómnium génera nasceréntur linguárum, allelúja.

℟. ii., Feria II infra Oct. Pentecostes, Brev. Rom.

26. ℟. Disciplínam et sapiéntiam dócuit eos Dóminus: firmávit in illis grátiam Spíritus sui, * Et intelléctu adimplévit corda eórum, allelúja, allelúja.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. * Et intelléctu adimplévit corda eórum, allelúja, allelúja.

℟. i., Fer. II infra Oct. Pentecostes, Brev. O. Præm.

27. ℟. Advénit ignis divínus, non combúrens sed illúminans, non consúmens sed lucens: et invénit corda discipulórum receptácula munda: * Et tríbuit eis charísmatum dona, allelúja, allelúja.

℣. Invénit eos concórdes caritáte, et collustrávit eos inúndans grátia Deitátis. * Et tríbuit eis charísmatum dona, allelúja, allelúja.

℟. i., Feria V infra Oct. Pentecostes, Brev. Rom.

28. ℟. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua * Illos loquéntes magnália Dei, allelúja.

℣. Stupébant autem omnes, et mirabántur dicéntes: Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilǽi sunt? et quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram. * Illos loquéntes magnália Dei, allelúja.

℟. iii., Feria IV Quatuor Temporum infra Oct. Pentecostes, Brev. O. Præm.

29. ℟. Isti sunt qui vivéntes in carne, plantavérunt Ecclésiam sánguine suo: * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. * Cálicem Dómini bibérunt, et amíci Dei facti sunt.

℟. vii., Commune Apostolorum et Evangelistarum extra tempore Paschali, Brev. Rom.

30. ℟. Suscitábo super gregem meum pastóres, et pascent eos: non formidábunt ultra, et non pavébunt, * Et nullus quærétur ex número, dicit Dóminus.

℣. Non esúrient, neque sítient, et non percútiet eos æstus et sol. * Et nullus quærétur ex número, dicit Dóminus

℟. v., Commune plurium Confessorum Pontificum, Commune Sanctorum pro aliquibus locis, Brev. Rom.

QUARTUM MYSTERIUM GLORIOSUM

ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IN CŒLUM



31. ℟. Vidi speciósam sicut colúmbam, ascendéntem désuper rivos aquárum, cujus inæstimábilis odor erat nimis in vestiméntis ejus; * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum

et lília convállium.

℣. **Quæ est ista quæ ascéndit per desértum sicut vírgula fumi ex aromátibus myrrhæ et thuris? * Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium.**

℟. i., In Assumptione B. M. V., Brev. Rom.

32. ℟. **Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, * Pulchra ut luna, elécta ut sol?**

℣. **Pulchritúdinem candóris ejus admirábitur óculus. * Pulchra ut luna, elécta ut sol?**

℟. xi., Puritatis B. M. V., Brev. Mon.

33. ℟. **Ista est speciósa inter fílias Jerúsalem, sicut vidístis eam plenam caritáte et dilectióne, * In cubílibus et in hortis arómatum.**

℣. **Ista est, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens. * In cubílibus et in hortis arómatum.**

℟. v., In Assumptione B. M. V., Brev. O. Præd.

34. ℟. **Quæ est ista quæ procéssit sicut sol, et formósa tamquam Jerúsalem? * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.**

℣. **Et sicut dies verni circúmdabant eam flores rosárum et lília convállium. * Vidérunt eam fíliæ Sion, et beátam dixérunt, et regínæ laudavérunt eam.**

℟. iii., In Assumptione B. M. V., Brev. Rom.

35. ℟. **Exaltásti sicut áquila nidum tuum, et habitátio tua in núbibus cœli. * Quo progréderis, Fília Sion, pulchra ut luna, elécta ut sol? allelúja.**

℣. Revértere, revértere, Sunamítis, ut intueámur te. * Quo progréderis, Fília Sion, pulchra ut luna, elécta ut sol? allelúja.

℟. ii., B. M. V. de Monte-Serrano, Off. pr. Cathalauniæ principatui et diœcesibus provinciæ Tarraconensis concessa, Brev. Rom.

36. ℟. Ornátam monílibus fíliam Jerúsalem Dóminus concupívit: * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum.

℣. Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte. * Et vidéntes eam fíliæ Sion, beatíssimam prædicavérunt, dicéntes: Unguéntum effúsum nomen tuum.

℟. iv., In Assumptione B. M. V., Brev. Rom.

37. ℟. Hódie María Virgo cœlos ascéndit: * Gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℣. Regína mundi hódie de sǽculo nequam erípitur. * Gaudéte, quia cum Christo regnat in ætérnum.

℟. vii., In Assumptione B. M. V., Brev. O. Præd.

38. ℟. Beáta es Virgo María Dei Génitrix, quæ credidísti Dómino: perfécta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltáta es super choros Angelórum. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℣. Benedícta et venerábilis es Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es Mater Salvatóris. * Intercéde pro nobis ad Dóminum Jesum Christum.

℟. vi., In Assumptione B. M. V., Brev. O. Præd.

39. ℟. Exaltáta est sancta Dei Génit-

rix, allelúja, * Super choros Angelórum ad cœléstia regna, allelúja.

℣. Dabis eam, Dómine, in benedictiónem in sǽculum sǽculi: lætificábis eam in gáudio cum vultu tuo. * Super choros Angelórum ad cœléstia regna, allelúja.

℟. viii., Septem Gaudiorum B. M. V., Brev. Rom.-Seraph.

40. ℟. Super salútem et omnem pulchritúdinem diplécta es a Dómino, et Regína cœlórum vocári digna es: * Gaudent chori Angelórum consórtes et concíves tui.

℣. Valde eam nos opórtet venerári quæ tam sancta et immaculáta est Virgo. * Gaudent chori Angelórum consórtes et concíves tui.

℟. iii., Sabbato ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

QUINTUM MYSTERIUM GLORIOSUM
CORONATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS IN CŒLO



41. ℟. O ineffabíliter dívitem in páupere óppido puéllulam: * Quæ missum sibi supérni Regis Fílium suscépit in aulam jucunditátis, desiderátis pavit delíciis, et armis poténtiæ circumcínxit.

℣. Hic ad pátriam triumphátor rédiens, in perénni laude ipsam Regínam constítuit, * Quæ missum sibi supérni Regis Fílium suscépit in aulam jucunditátis, desiderátis pavit delíciis, et armis poténtiæ circumcínxit.

℟. iii., Feria III ad Matutinum, Brev. O. SS. Salv.

42. ℟. Adamávit eam Dóminus super omnes mulíeres, * Et pósuit diadéma regni in cápite ejus, allelúja.

℣. Accépit regnum decóris et diadéma de manu Dómini. * Et pósuit diadéma regni in cápite ejus, allelúja.

℟. i., B. M. V. Reginæ SS. Omnium et Matris pulchræ Dilectionis, Proprium Sanctorum Hispanorum, Brev. Rom.

43. ℟. Coróna áurea super caput ejus, * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis, allelúja.

℣. Quóniam prævenísti eam in benedictiónibus dulcédinis, posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. * Expréssa signo sanctitátis, glória honóris, et opus fortitúdinis, allelúja

℟. iii., In Anniversario Coronationis Imaginis B. M. V. de Misericordia, Officia propria pro Ecclesiis Savonensi et Naulensi, Brev. Rom.

44. ℟. Accépit regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: * Quóniam déxtera sua reget nos, et bráchio sancto suo próteget nos, allelúja.

℣. Tamquam si cui mater blandiátur, ita et ego consolábor vos. * Quóniam déxtera sua reget nos, et bráchio sancto suo próteget nos, allelúja.

℟. vii., B. M. V. Reginæ SS. Omnium et Matris pulchræ Dilectionis, Proprium Sanctorum Hispanorum, Brev. Rom.

45. ℟. Ecce Dóminus meus ómnia mi-

hi trádidit, * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi.

℣. Fecit mihi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. * Nec quidquam est quod non in mea sit potestáte, vel non tradíderit mihi.

℟. iv., B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, Off. Pr. Congregationis Sacerdotum a S. Corde Jesu, Brev. Rom.

46. ℟. Numquid, gloriósa cœli Regína, nostræ humilitátis oblíta es? Absit: * Non convénit tantæ misericórdiæ tantas misérias oblivísci.

℣. Stas in conspéctu Fílii, pro peccatóribus exoráre non cessans. * Non convénit tantæ misericórdiæ tantas misérias oblivísci.

℟. iv., Immaculati Cordis B. M. V. Refugium Peccatorum, Suppl. pro Congr. S. Spiritus sub invocatione Immaculati Cordis B. M. V., Brev. Rom.

47. ℟. De míseris valde sollícita es, hos in adoptiónis fílios assumpsísti, hos régere Dómina voluísti, et ídeo * Regína mise-ricórdiæ vocáris.

℣. Qui sunt misericórdiæ súbditi, nisi míseri? Nos ergo tecum míseri consolámur, te mentis viscéribus ampléctimur. * Regína misericórdiæ vocáris.

℟. ii., Immaculati Cordis B. M. V. Refugium Peccatorum, Suppl. pro Congr. S. Spiritus sub invocatione Immaculati Cordis B. M. V., Brev. Rom.

48. ℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. * Ut

misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

℟. viii., B. M. V. Omnium Gratiarum Mediatricis, Off. Pr. Congregationis Sacerdotum a S. Corde Jesu, Brev. Rom.

49. ℟. Dei Génitrix María velut alter sol, super bonos, et malos indifferénter óritur, ipsa prætérita non díscutit mérita: * Sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet.

℣. Omnium dénique necessitátes amplíssimo quodam miserátur afféctu. * Sed ómnibus sese exorábilem, ómnibus clementíssimam præbet.

℟. vi., Patrocinii B. M. V., Off. pr. Sanctorum archidiœcesis Guatemalensis, Brev. Rom.

50. ℟. Omnibus misericórdiæ sinum áperit, ut de plenitúdine ejus accípiant univérsi: * Captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam.

℣. Deníque tota Trínitas glóriam, Fílii persóna carnis humánæ substántiam, ut non sit qui se abscóndat a calóre ejus. * Captívus redemptiónem, æger curatiónem, tristis consolatiónem, peccátor véniam, justus grátiam, Angelus lætítiam.

℟. viii., B. M. V. sub titulo Salus Infirmorum, Officia propria pro Clericis Regularibus Infirmorum Ministris, Brev. Rom.

ORATIO POST ROSARIUM

HUNC ígitur, o sancta Dei Génetrix, ora pro ómnibus, et pro nobis, qui hoc psaltérium tibi pie deprómpsimus, sperántes per te a Fílio tuo mercédem spirituálem et præséntem prosperitátem simul et vitam ætérnam, quæ honorásti semper honorántes te et óptime nosti in témpore opportúno resalutáre te modo salutántes in diébus sálutis et grátiæ. Sed etiam nunc te salúto hac aurea tua salutatióne, quam dídici a devóto Carthusiénsi:

Ave María, grátia plena,
quia Verbum in te caro factum est,

Dóminus tecum,
et habitávit in nobis,

benedícta tu in muliéribus,
ex te vídimus glóriam ejus,

et benedíctus fructus ventris tui,
glóriam quasi Unigéniti a Patre:

Jesus Christus,
***plenum grátiæ et veritátis.* Amen.**



In conclusione Coronæ Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, MYSTERIA GAUDIOSA *contemplando, dicitur:*

℣. Benedicámus Angélicæ potestátis Dómino, quem Virgo pura concépit, Gabriéle núntio.
℟. Deo dicámus grátias.

In conclusione Coronæ Rosarii Beatæ Mariæ Virginis, MYSTERIA DOLOROSA *contemplando, dicitur:*

℣. Benedicámus innocénti Vírginis Fílio, pro reis morti trádito, perénniter vivénti Dómino.
℟. Deo dicámus, revincénti nos a fauce tártari, ad aulam cœli reducénti, infinítas grátias.

In conclusione Coronæ Rosarii Beatæ Mariæ Virginis,* MYSTERIA GLORIOSA *contemplando, dicitur:

℣. **Benedicámus Dómino suam Matrem collocánti in cœli palátio, ubi summo sine fine perfrúitur gáudio: hæc est enim Virgo digna tali privilégio.**
℟. **Deo dicámus grátias.**

In conclusione Coronæ Rosarii Beatæ Mariæ Virginis,* MYSTERIA LUCIS *contemplando, dicitur:

℣. **Benedicámus Vírginis Fílio cum Patre et Flámine sacro, vero Deo et Dómino.**
℟. **Deo dicámus grátias.**

